[illegible]

[illegible]


[illegible]

CONTAGIOSA

[illegible]

[illegible]

[illegible]



[illegible]

# D. JO. HARTM. DEGNER

*Scabini, Senatoris & Archiatri Civit. Neomag. Acad. Cæs. Nat. Cur. Coll. &c.*

# HISTORIA MEDICA DE DYSENTERIA BILIOSO-CONTAGIOSA

*QUÆ* MDCCXXXVI. *NEOMAGI ET IN VICINIS EI PAGIS*

*Epidemice grassata fuit.*

In qua simul novorum quorundam remediorum antidysentericorum, nimirum corticis Simarubæ, radicis Salab, trochiscorum Gitta Gambir & corticis Mangostan effectus exploratur.

ACCEDIT

## RELATIO HISTORICA

*Cum Responso Facultatis Medicæ Halensis*

## DE MORTE

Per Mercurium sublim. in Emplastro adplicatum, inducta.

*Editio novissima, ab Auctore ipso revisa & aucta.*



*TRAJECTI ad RHENUM,*
Apud NICOLAUM VAN VUCHT,
Anno CIↃ IↃCCLIV.

*Oculis magis credere oportet quam opinionibus: Nam, quod patet ad ſenſum, omni ratione dignius eſt.*

Hipp. de Victus Ratione Lib. I.



# PRÆFATIO NOVA.

## BENEVOLO LECTORI

## *SALUTEM.*



*Uanquam mille ducenta hujus opuſculi exemplaria Ultraje-cti Anno* 1738. *typis deſcripta fuere, totusque itidem libellus, excepta Relatione hiſtorica de morte*, &c. Appendici Actor. Med. Phyſ. Acad. Cæſ. Natur. Curioſ. Vol. V. *inſertus legitur; omnia tamen illa exemplaria Ultrajectina ita diſparuerunt, ut in his regionibus jam inde ab aliquot annis nullius eorum apud Bibliopolas, omni diligentia adhibita, compotes fieri potuerimus.*

*Hic defectus, ſi mitiſſime judicare voluero, forſitan Anno* 1750. *anſam dedit Bibliopolæ Lovanienſi*, Joan. Franc. van Overbeke, *manum in alienam meſſem mittendi, atque hunc tractatum cum Privilegio &*

*Adprobatione excudendi*, *& quidem addito speciosa titulo*, Editionis ultimæ, auctioris, accuratissimæ.

*Post duos itaque & quod excedit annos*, *quam hæc* Editio Lovaniensis *lucem vidit*, *ego forte fortuna ex catalogo librorum de illa edoctus*, *eandemque tandem nactus*, *admodum mirabar*, *prædictum* Overbekium *sibi non solum tantum arrogasse*, *ut hunc libellum*, *me inscio*, *invito & improbante*, *idque cum diplomate & privilegio exclusivo:* (" *Ne quis librum*, *sine* Joannis " Francisci van Overbeke, *typographi Lo-* " *vaniensis*, *consensu intra novennium in* " *Belgio ullo modo imprimat*, *aut alibi* " *impressum in illas Inferioris Germaniæ* " *ditiones importet*, *venalemque habeat*") *recuderet*, *sed & editioni suæ eam laudem tribueret*, *quæ minime in illam convenit.*

*Ea enim neque auctior neque accuratissima dici potest*, *siquidem ne unico verbo ditior prodiit*, *sed potius ubique innumeris mendis conspurcata deprehenditur.*

*Si* Overbekius *consilia mecum communicasset*, *me haud difficilem reperiisset*, *ad suggerenda ea*, *quibus Lovaniensis editio vere auctior & accuratior excudi potuisset.*

*At nunc famæ meæ nec non emtorum interest*, *ut quantocyus de editione hac spuria certiores fiant*, *& impudens fraudulen-*

*ti hominis ausum, prout sane meretur, atro carbone notetur, ne ejusmodi Bibliopolarum imposturæ Eruditos diu lateant, meumque silentium tacita existimetur adprobatio.*

*Quartum itaque nunc prælum relinquit opusculum, quod antea altera vice sub incudem revocare, nunquam mihi animus fuit.*

*Nihil quidem in illo mutandum aut invertendum duxi; ut autem vere auctior exiret libellus, observationes quasdam adjeci, quas ex eo tempore, quo primum in dias luminis auras prodiit, experiundo didici, aut ex aliis Scriptoribus enotatu digna judicavi, nostrisque illustrandis aut confirmandis, ceu totidem nova testimonia, convenire credidi, quamvis Auctorum nomina semper indicare supervacaneum existimaverim.*

*Eas vero observationes annotationum nomine ad calcem cujusvis paginæ rejeci, ne forma libri immutaretur, quas, si in ipsum textum recepissem, sensum & seriem historiæ nostræ nimium turbassent; has tamen notulas, quam potui brevissimas, & scopo nostro inservientes esse volui.*

*Ut dies diem docet, ita etiam studium nostrum comparatum est, in quo rimantibus & investigantibus quotidie aliquid novi sese offert, quod jam cognitis addi potest.*

*Nihil hic profero, nihil polliceor, nisi quod rationi & experientiæ sanæ consentaneum arbitratus sum.*

*Nemini litem movere cupio, cuilibet a nostris dissentire integrum erit.*

Medico nil nisi salus hominum cordi esse debet.

*Hæc sunt, Amice Lector, quæ per temporis & otii rationem huic editioni præfari volui.*

*Qui plura hisce adjungere cupiunt, iis amplissimus adhuc apud Scriptores, hac de re differentes, patet campus. Vale.*

# PROOEMIUM,

*priori editioni præmiſſum.*

Eculum integrum nunc abiit, ex quo omnium morborum truculentiſſima *Peſtis*, *Belgium*, inprimis vero *Geldriæ* regionem, atque in ea inter reliquas, maxime *Civitatem* noſtram *Neomagenſem* miſerrime adflixit. Tanta enim tunc ſævitia hic locorum iſta lues graſſabatur, ut totum *Neomagum* quaſi incendio ab eadem correptum videretur, & vix in urbe decem domicilia ab illius contagio intacta relinquerentur.

Facile eſt colligere, quam luctuoſum illud fuerit ſpectaculum, dum feretra funeribus excipiendis per omnes plateas ante plurimorum fores collocata, & non ſolum mortuos undique, ſed & ſæpius tria quatuorve cadavera ex iisdem ædibus ſimul ad ſepulchra deportata fuiſſe legimus.

Miſeram illorum temporum faciem, quorum hiſtoriam graphice deſcriptam nobis reliquit Celeb. *Isbr. de Diemerbroeck*, Civitatis hujus tunc temporis *Medicus ordinarius*, nobis in mentem revocavit calamitas, quam hoc ipſo *anno ſeculari* experti ſumus, cum morbus quidam *epidemicus*, inter ad-

fectus nobis familiares fere graviſſimus & fœtidiſſimus, nimirum *Dyſenteria bilioſo-contagioſa*, hic terrarum ſatis vehementer ſæviret.

Peſte quidem laborantes nunquam tractavimus, ſed ex hiſtoria morbi, ab aliis conſcripta, facile concedimus, *contagium iſtius violentius* & *malignius eſſe dyſenterico*, neque æquale periculum huic ineſſe.

Verum enim vero, *Lues* quoque *dyſenterica* interdum ſatis virulenta eſt, & miaſma ſuum contagioſum quam latiſſime diffundens, non tantum magnam hominum multitudinem inficit, ſed etiam multa ſtrage interficit; & ſi præſentius periculum vera *Peſtis* adfert, quam modo dictus adfectus, tamen putidiſſimus & cadaveroſus fœtor, quem nec ditiores evitare poſſunt, ipſo horrore & averſione alterius mali metum fere adæquat, ut taceam dolores & intenſiſſimos cruciatus, qui in alio morbo non erunt graviores.

Plures quidem morbos *Epidemico-contagioſos*, ex. gr. *febres catarrhales malignas*, *petechiales*, *purpuratas*, *variolas*, *morbillos*, &c. late graſſantes, in praxi noſtra obvios habuimus tractavimusque, nihil tamen horum cum horrendo hoc malo dyſenterico comparari poſſe nobis videtur.

Et ſane, Peſte excepta febribusque, quæ

isti sunt affines, vix aliud morborum virus latius grassatur, magisque genus humanum vastat, quam ipsa *Dysenteria*; ob quam etiam rationem summum veluti gradum adepta pro *pestilente* seu *pestilentialis indolis* morbo; aut, ut ita loquar, pro nostra *Peste* haberi potest.

Horrent etiam hunc morbum præ reliquis mortales. Vicinus vitat vicinum, agnatus agnatum; de pistore panem, de cerevisiario cerevisiam accipere recusant, si eorundem domus aliquem hoc malo adfectum habeant; hinc opifices, mercatores aut alii, quorum interest, rem suam familiarem nullum detrimentum pati, morbum maxime celare satagunt, ne a negotio aut commercio suo quenquam avertant.

Tantus quoque per *Belgium* & apud vicinos de nostro morbo rumor & terror fuit, acsi ipsa pestilentia adflati fuissemus. Haud pauci urbem nostram intrare timebant; alii audita fama de Dysenteria hic grassante ante ipsas portas gradum retulere domumque rediere;

Nonnulli, quia in *Diemerbroekio* legerant, tunc temporis hic locorum præcessisse Dysenteriam malignam, eamque excepisse pestem, etiam nunc pestem inde nascituram vanissimo præsagio hariolabantur, acsi non satis magna malorum moles nobis incumberet.

Morbus vero *dyſentericus*, uti in genere eximiæ malignitatis ac truculentiæ eſſe ſolet; ita ſpeciatim apud nos non ſolummodo magnum ægrorum pariebat numerum, ſed etiam tantam & tam exactam pro ratione laborantium requirebat attentionem, ut, ubi in aliquo articulo peccabatur, aut quidquam ὕστερον πρότερον fiebat, æger periculum vitæ incurreret, nec niſi experto credibile ſit, quam plenam moleſtiæ vitam Medicus tunc temporis agat, cum dies noctesque continuo inter hujusmodi, nil niſi putridum fœtorem exhalantes ægrotos, verſari debeat, ac ipſi vix ſpatium capiendi cibum, aut defatigata membra neceſſaria quiete reficiendi, concedatur;

Vix enim quisquam Medico parcit, dum ſibi auxilium ferri cupit.

Ipſe ego laboribus delaſſatus ſæpius commotionibus febrilibus corripiebar, ac dolores capitis patiebar, qui mihi in morbis epidemicis ſemper malignitatis ſignum fuerant. Vomitu præterea ſpontaneo & diarrhœa leviore illo tempore aliquoties tentabar, nec leve morbi incurrebam periculum, nullum tamen otium relinquebatur habendi curam mei, ut non una vice cogitarem, me fere vitam cum labore finiturum.

*Anno* quidem hujus *ſeculi ſecundo Dyſenteria caſtrenſis* Ducatum Clivenſem, ob ca-

ſtra

ſtra ibi poſita graviſſime adfligens, noſtram quoque civitatem corripuit, magnaque ſtrage tunc devaſtavit, ſicuti ex ore eorum accepimus, qui illum morbum aut ipſi tolerarunt, aut illorum temporum adhuc memores ſunt. At non ſemel indoluimus in præſenti noſtro caſu, quod Medici illius ætatis hic degentes nullas ex ſuis obſervationibus memoriæ prodiderint, ex quibus forſan aliquid conſilii aut auxilii haurire potuiſſemus. Operam quidem dedimus, ut aliquas de illo morbo relationes genuinas nanciſceremur; at, cum nullus amplius Medicorum, qui eo tempore vixerunt, ſuperſtes eſſet, voti noſtri compotes fieri nequivimus.

Quid vero artem noſtram magis illuſtrat, quid certius ſtabilit ac firmat, quam *obſervationes* ac *hiſtoriæ morborum* ab iis ipſis fideliter conſcriptæ, qui ſaluti hominum præfuerunt?

Sunt enim *Obſervationes Medicæ* ſpecies facti & relationes earum rerum & mutationum, quæ in corpore humano fiunt, ſive illud in ſtatu ſano, ſive morboſo exſiſtat. Ex iis cognoſcimus non tantum veram naturam, generationem & cauſas læſionum & ſymptomatum morboſorum, verum etiam pandunt nobis certos & genuinos effectus medicamentorum, cum jam cognitorum, tum & eorum, quæ nobis adhucdum incogni-

gni-

gnita erant. Illis maximam partem innititur Praxis & Experientia medica, quæ rationes ſuas ſolidas ex iisdem petere debet.

Certe ſi Medici *Obſervationes* & *Annales hiſtoricos* diligentius conſcriberent, & de iis caſibus, qui annuatim ipſis offeruntur, & præſertim quemlibet morborum epidemicorum & contagioſorum ſtatum ſcriptis accuratius notarent, non poſſet fieri, quin ſolidior morboſarum cauſarum cognitio, & firmior medendi methodus inde emergeret. Tunc enim quid in iſto adfectu emolumento, quid nocumento fuerit, quidque *in ſimili caſu* agendum ſit, certius diſceremus, nec de vita hominum denuo periculum faceremus.

Cum enim multi ſint morbi, qui nil niſi ſpeciem ſimilitudinis præ ſe ferunt, cauſas vero ſi reſpiciamus, maxime a ſe diverſas habeant; ita quoque ſpeciatim magna *inter Dyſenterias* occurrit *differentia*, quæ non niſi ex ejusmodi collectis & inter ſe collatis obſervationibus & hiſtoriis recte cognoſci & diſtingui poteſt.

Inde etiam evenit, ut, cum hæc noſtris diebus oborta Dyſenteria phænomena haud vulgaria exhiberet, quod nomen ſpecificum ei imponerent, aut quam cauſam genuinam ei aſſignarent, ipſi admodum ambigui hæſitarent Medici, qui ex

hac

hac lue laborantibus medicinam faciebant.

Illam autem haud alio quam *biliosæ* nomine designandam esse, ex ipsa ejus natura patebit.

Morbum justo nomine definire Medicum decet, nam hoc ipso declarat, illius genium specificum sibi notum esse, quin imo viam ad ejus sanationem sibi non ita fore difficilem.

Solet autem hic morbus esse *lapis offensionis* illis, qui rem parum cognoscunt, utpote qui inde facile in incerta deferuntur trivia, ut nil nisi experimenta fallacia ipsos facere, eandemque illorum perversam medendi methodum noxiorum eventuum caussam evadere, necesse sit.

Hujus rei cogitatione permoti in præsenti constituimus hanc de malo Epidemico, quod nostros hoc anno oppugnavit muros, publicare relationem, simulque ea, quæ in nostro periculo singularia occurrebant, ab oblivione vindicare.

Nulla cum ostentatione, nulla cum multorum Scriptorum, ad libri molem augendam, citatione, sed simplici sermone & stylo omnia conscripsimus, rebus potius, quam verborum copiæ & elegantiæ intenti atque studentes.

Herbis enim, non verbis, curantur morbi. Verbis vero offendi, juxta *Tullium*,

aut

aut morbi aut imbecillitatis argumentum eſt.

Quod vero hic libellus aliquanto ſerius in lucem prodeat, primaria hujus moræ cauſa fuit Praxis nimium cumulata, quæ nobis tempus ſubtraxit, quo minus obſervationes noſtras in debitum ordinem redigere licuerit.

Deinde per totum *Anni* 1737. decurſum ad finem menſis *Novembris* uſque complures adhuc obſervabantur ægri, qui ex *diarrhœa bilioſa* laborarunt, quos inter ſemper quidam erant, qui materiam cruentam excernebant, aut qui inde infelici modo mortem oppetebant, donec tandem ab eo tempore iſtæ diarrhœæ plane evanuerint, poſtquam ultra annum & dimidium epidemico fere modo hic graſſatæ fuerant.

Illæ vero *diarrhœæ* incolas noſtros adeo terruerunt, ut quamprimum quispiam ab iis tentabatur, rumor in vulgus ſpargeretur, *Dyſenteriam* aut in hunc uſque diem nondum ceſſaſſe, aut jam redire.

Et licet ejusmodi logi vani deprehenderentur, nec morbus ſe hactenus manifeſtaret, hoc tamen pacto quotidie novæ nobis remoræ ſubnatæ ſunt, utpote avidis videndi prius totius ſcenæ exitum.

Cum enim omnino exempla in propatulo ſint, Dyſenteriam vehementem atque ma-

li-

lignam non tantum per magnam hiemis partem durasse, verum etiam ab una ad alteram usque æstatem tanquam uno tenore, licet non uno vigore, continuasse, prudentia suadere videbatur, de morbo nostro nihil ante absolutam periodum & impletum finem literis vulgandum esse.

Præterea non adeo magno impetu ad id ferebamur, quoniam sentiebamus judicia admodum diversa fuisse, huncque aliquid pro utili declarasse, alium idem damnasse; quam invidiam declinare maluissemus.

Interim cum crebris sollicitationibus ad hæc publicanda stimularemur, rem ulterius differre noluimus, bene memores, facilius esse aliorum labores reprehendere, quam meliora exhibere.

Necessitas & utilitas rei omnino exigit, ut omnia fideliter & vere exponantur, quæ in morbo salutaria aut noxia fuerint, inque illorum commemoratione nemo, uti spero, dicere sustinebit, nos modestiæ terminos egressos esse. Hoc tantum agimus, ut Rem Medicam, quantum in nobis est, adjuvemus; estque quod speremus, exiguos nostros conatus Publico non ingratos fore.

Cæterum in pluribus quoque *Europæ* regionibus *Dysenteriam* hoc anno invaluisse, novellæ publicæ nuntiarunt; nil vero certi de ejus Epidemia nobis constat,

quod

quod ad uſum communem proferre poſſemus.

In *Tranſiſalanam* etiam terram, & inprimis in Civitatem *Campenſem* illam luem magno impetu irrupiſſe, fama & literis accepimus. Et quanquam amplior ejus relatio nobis deſit, tamen infra, quantum de ea comperire potuimus, exponemus. Harum enim obſervationum inter ſe inſtituta collatione ſemper aliquid lucis rebus noſtris adfundetur.

Poſtremo huic hiſtoriæ alium addimus caſum, cum antecedentibus nullum quidem nexum habentem; quoniam autem illo ipſo tempore accidit, quo priora publicandi conſilium inieramus, hac occaſione, tanquam optima uſuri, illum cum Orbe Erudito communicare haud dubitamus, ſperantes fore, ut ejus publicatio Rei Medicæ peritis nec ingrata eveniat, nec inutilis videatur.

# HISTORIA MEDICA
## DE
# DYSENTERIA BILIOSO-CONTAGIOSA
## QUÆ
## *ANNO* 1736. *NEOMAGI EIQUE VICINIS QUIBUSDAM PAGIS*
## EPIDEMICE GRASSATA FUIT.

---

## CAP. I.

*Exhibens Relationem hiſtoricam Dyſenteriæ Bilioſo-contagioſæ &c.*

§. I.



UM *hiſtoriam Dyſenteriæ Epidemicæ*, quam hoc anno haud exigua incolarum calamitate hic locorum toleravimus, deſcribere adgredior, meus non eſt ſcopus, de Dyſenteria in genere ejusque variis ſpeciebus integrum contexere tractatum; hoc enim centies ab aliis factum, centiesque recoctum eſt. Sed tantummodo & unice ad illam Dy-

ſenteriæ ſpeciem me convertam, quam *Bilioſo-contagioſam* adpellavi, & quæ ab aliis Dyſenteriæ ſpeciebus, nimirum ſanguinea, caſtrenſi, alba, mucoſa, &c. quoad ſymptomata quædam eſſentialia non parum diſtincta & diverſa fuit, ut mox clarius patebit.

## §. II.

Ejus vero *ſchema* ſequenti modo ſeſe ſiſtebat: Initio menſis *Aprilis*, & per totum ſequentem menſem *Majum*, magis vero *Junium*, inter adultos æque, ac inter impuberes & parvulos, ſatis frequentes erant *diarrhoeæ bilioſæ*, vomitibus ac doloribus in abdomine levioribus comitatæ; nihil tamen malignæ luis in receſſu habere videbantur, utpote quæ neque contagioſæ, neque rebelles erant, lenioribus corrigentibus ac laxantibus facillime cedentes.

## §. III.

Cum vero *numerus ægrotorum ſolito major* fieret, cœpi tandem ſuſpicari & vereri, ne malum quoddam violentius, dyſentericum, ſucceſſu temporis inſequeretur, ſollicitudinemque hanc meam cum aliis communicavi, neque vanam illam fuiſſe, ſubſequentis menſis *Julii* eventus docuit.

§. IV.

§. IV.

Circa *initium hujus Menſis*, tractabam ægram, febre anomala per dies quatuordecim aut plures laborantem, quæ febris tandem terminabatur in diarrhoeam cum magnis doloribus inteſtinorum, eamque pro Dyſenteria potius, quam pro diarrhoea critica, habuiſſem, niſi *excrementa biliosſa*, valdeque foetentia, ac nihil ſanguinis exhibentia, ab illa ſuſpicione mentem avertiſſent.

§. V.

Deinde vero die *decimo ſeptimo* ejuſdem *Julii* advocor ad *Decurionem* equeſtris militiæ, virum juvenem ac robuſtum, qui in platea, de Paulſtraet dicta, habitabat. Hunc jam per octo vel decem dies *continuo alvi fluxu* laborare, eique a cohortis Medico fruſtra medicinam fieri, ab adſtantibus refertur. Æger quidem viribus valde exhauſtus jacebat, adpetitu vero nondum plane proſtrato, nec ſitis, nec febris notabilis aderat, nec de alio incommodo, niſi de alvi fluxu valde frequenti & dolenti, querebatur. Nihil ego de *Dyſenteria vera* in hoc ſubjecto adhuc ſuſpicatus præſcripſi ea, quibus diarrhoeam auſcultare hactenus expertus fueram, ſed itidem omnia incaſſum. Cum vero ma-

lum augeri potius, quam imminui, deprehenderem, ut *excrementa* luſtrarentur, poſtremo juſſi; quo facto adparuit, illa fuiſſe *cruenta* ac *ſanioſa.* Triſte hoc mihi exſtitit majoris mali forte ſecuturi præludium. Interim ſtatim ea medicamenta, quæ morbo dyſenterico ſanguineo opponere alias ſolitus eram, præſcripſi quidem, omniaque, quæ pro temporis & circumſtantiarum ratione ſalutaria mihi videbantur, adplicanda curavi, ſed nullo levamine; morbus potius ſemper abibat in deterius, vires in dies minuebantur, pulſus ſenſim deficiebat, frigebant extrema, accedebat ſingultus, & *die vigeſimo quinto hujus menſis* mente ſana placida mors inſequebatur.

## §. VI.

Hic *omnium primus* fuit ægrotus, quem *vera Dyſenteria* hoc anno in hac civitate correptum fuiſſe novimus.

In eo vero ſtatim *ſingularia* quædam, tam quoad *ſymptomata* morbi, quam quoad *curam* & *medicamentorum* effectum, obſervavi, quæ dein in hoc fatali morbo maximæ utilitati ægris meis fuerunt. Didici enim, hunc morbum non ſolum a Dyſenteria vulgari ſanguinea, alba, mucoſa &c. notabilem indolis ſuæ diverſitatem exhibere, ſed & ejus curam

ram ſolito difficiliorem eſſe; ideoque mature putavi, *cauſam* ejus *procatarcticam* propius examinandam, eique alio modo aliisque remediis, cum ſtudio excogitandis, obviam eundum eſſe.

## §. VII.

In *illa* vero *platea*, ne dicam in *illa ipſa domo*, in qua moriebatur modo dictus æger, & quæ verſus meridionalem civitatis tractum extenditur, *omnem noſtram calamitatem* natam fuiſſe, aut ſaltem primo loco ſe manifeſtaſſe, ex ſequentibus patebit.

## §. VIII.

Non enim multo poſt & quidem in *fine* ejusdem menſis *Julii*, & in *principio*, magis vero jam *medio Auguſti*, ſenſim ſenſimque ad dextram æque ac ad ſiniſtram modo dictæ plateæ partem, in plateas eidem vicinas ſeſe diffudit malum: nimirum in plateas, quæ Boream ſpectant, quas **de Kruitberg / de Nieuſtraet / de Bruurſtraet** adpellant; ut & in plateas verſus Auſtrum jacentes, quæ **de Koningſtraet / de Siekenſtraet / en de Meulenſtraet** audiunt, morbumque hunc minime benignum, ſed malignum & *contagioſum* eſſe, nunc ſatis aperte docebamur.

 §. IX.

## §. IX.

In modo dictis plateis, quarum quaſi *centrum* erat de Paulſtraet / morbus hic etiam uſque ad *declinationem* menſis *Auguſti* fere unice adhuc ſubſtitit, adeo quidem, ut licet jam menſis elapſus eſſet, ex quo illius naturam jam perſpectam haberem, & quidem in ægris compluribus, Medici tamen quidam adhuc acriter pugnarent, non eſſe *Dyſenteriam* in civitate, ſed tantum diarrhoeam ſimplicem: forſan quia aut nullum ſanguinem, aut non multum ſanguinis excerni videbant; alii *fluxum* tantum *hepaticum* eſſe adfirmabant; num bene vel male judicaverint, eventus deinde evicit.

## §. X.

Verum enim vero, malum in dies magis magisque accreſcens, *in fine menſis Auguſti*, & quaſi gradatim porro de platea in plateam diſperſum eſt, inprimis vero in meridionalem & occidentalem civitatis partem, ibique etiam plateas, quas de Zeegelbaan / de Zwaenegas / de Bloemerſtraet / de Regulierſtraet dicunt, corripuit.

Jam etiam in aliis civitatis partibus, hinc inde, ſed admodum ſparſim unus vel alter æger dyſentericus offendebatur, ſed cum mor-

morbi genius adhuc multum lateret, alio morbo illos exſtinctos fuiſſe, fama ferebat.

§. XI.

Tandem circa *initium menſis Septembris* per univerſam civitatem morbi progreſſum ſentiebamus, nullaque urbis pars ab illo plane immunis erat, ut nunc de *malo Epidemico graſſante* nemo amplius dubitare poſſet.

§. XII.

Eſt vero non ſolum ſingularis conſiderationis hæc obſervatio, quod morbus hic in ſui principio *non ſimul & ſemel per totam civitatem* graſſatus ſit, & quod *ejus veſtigia* preſſo quaſi pede legere & ſequi potuerimus; ſed & hoc notatu admodum dignum eſt, quod hucuſque *ſolis noſtris muris* incluſus fuerit.

Neminem enim extra pomoeria noſtra hæc lues ad hoc tempus adflixit, at ſola noſtra civitas ab ea tacta fuit.

§. XIII.

Jam vero *procedente menſe Septembri* in dies *incrementa ſumens* latiuſque vires ſuas explicans, etiam in confines nobis *pagos* con-

tagium tranſiit, & quidem per homines, qui urbem frequentaverant. Itaque ab eo tempore omnium primus mali rabiem ſenſit pagus, occidentem verſus proxime Neomagum ſitus, quem Hees adpellamus. Porro ſenſim proxime nobis adjacentibus vicis, nimirum *Weurd*, *Beuningen*, *Hadert*, *Groesbeeck*, *Ubbergen*, *Beeck* &c. aliiſque illis adpoſitis virus ſe inſinuavit. Eadem tempeſtate, vel potius paululum tardius *Vahalim tranſiens* contagium vicinos nobis vicos *Lenth*, *Elſt*, *Bemmel*, *Gent*, &c. dictos, adflavit, ut nunc multi ab eo tum rure, tum in civitate decumberent.

## §. XIV.

Hoc tempore, *medio nempe Septembri*, Nundinæ annuæ ſeu *Encænia* apud nos celebrabantur: qua occaſione ingens multitudo inprimis rure habitantium in urbem, morbi metu poſito, confluebat. Per hanc mortalium frequentiam, parum opportuno tempore convenientium, *mali fines non parum propagati ſunt*; nam advenæ infectas domos intrantes, cum ægrotorum, tum ſimul ipſius morbi commercium, contraxere, eaque via in ſua rura transmiſere; ita ut ab hoc tempore circumjacentes vicos idem malum vehementius adfligeret, multique paucorum dierum aut horarum lætitiam vitæ jactura penſarent.

§. XV.

## §. XV.

Notabile hujus rei habuimus exemplum in *puero*, qui *Cliviæ* ſcholam frequentabat. Hunc pater ob nundinarum ferias huc arceſſivit. Accidit vero, ut brevi poſt ejus adventum ſoror ejus Dyſenteria corriperetur; quo facto pater quidem puerum ſtatim eo remiſit, unde venerat, poſt aliquot autem dierum intervallum ibidem itidem Dyſenteria decubuit, & feliciter cum ſorore e morbo evaſit.

Novi quoque *tabellarium* e vicinia Bommeliæ ad Moſellam, Maeß-Bommel/ ad me hoc tempore miſſum, ut peteret conſilium ad præſervandum & curandum morbum dyſentericum, ſi forte illis locis adpropinquaret. Iſte tabellarius domum infectam, in qua ancilla Dyſenteria decumbebat, frequentavit, ſecumque hinc ad ſuos infelici modo tranſtulit contagium, ex quo & ipſe & alii ejusdem vici incolæ obierunt.

Talia exempla multa, ſi neceſſitas exigeret, adducere poſſemus, præſertim quorumdam *militum*, aliorumque hominum, qui hinc *Graviam*, *Arenacum*, *Emericum* atque aliorſum profecti, ibidem hoc morbo correpti, eodemque vel exſtincti fuerunt, vel etiam ex eo convaluerunt, alioſque hac lue ibidem infecerunt.

 §. XVI.

## §. XVI.

Itaque circa *medium Septembris ſuam* ἀκμὴν morbus attingebat, numerusque ægrorum undique tam rure, quam in civitate, ſatis notabilis erat, ut omni labori ferendo, ægrisque inviſendis, vix ſufficerent Medici.

## §. XVII.

In hoc *ſummo ſuo vigore a medio Septembris* ad *vigeſimum ſextum Octobris* uſque perſiſtebat lues, & non paucos omnis conditionis homines e medio tollebat; *ſub finem* vero *Octobris* paulatim declinare, neque tot homines ab eadem infeſtari, magno ſane omnium noſtrorum civium ſolatio, lætique obſervavimus.

## §. XVIII.

Reticendum autem hic non eſt, quod morbus in *eadem quaſi urbis regione*, ubi *initium ſuum* ſumſit, per omne graſſationis tempus etiam *vehementiſſimus* exſtiterit, viruſque ſuum non ſolum ſemper circa meridionalem & occidentalem urbis poſitum magis expanderit, ſed & majorem ibi ſtragem fecerit, quam in oppoſitis civitatis partibus, plures enim ibi ſæpius in una domo decumbe-

bebant ægri, quam in integra platea orientali vel boreali reperiebantur. (*a*)

## §. XIX.

In ſupra memoratis itaque plateis auſtralibus & occidentalibus maximus ægrorum numerus per totum morbi decurſum exſtitit, adeo quidem, ut præprimis in platea de Siekenſtraet vix una aut altera domus a contagio libera maneret, atque adeo hæc platea ipſo nomine & omine de Siekenſtraet ſeu ægrorum platea adpellaretur. In aliis contra civitatis partibus, vix unus aut alter inveniebatur æger, neque tamen hic omni ſuſpicione commercii cum infectis vacabat.

Quo ergo propius verſus Boream, aut ſi mavis, flumen noſtrum Vahalim poſitæ erant domus, eo pauciores in plateis decumbebant ægri, ſic quidem, ut in plateis flumini proximis, quas de Laegemarkt / de Steenſtraet / de Vleeshouwersſtraet adpellant, pauciſſimi, & vix unus aut alter in quavis platea ægrotaret, quamvis duæ poſteriores plateæ nu-

(*a*) *Similes obſervationes quam plurimas paſſim jam ab auctoribus notatas legimus, quibus docemur, Dyſenteriam in illa civitatis aut plagæ parte, in qua primo nata fuit, impenſius etiam ſæviiſſe quam alibi.*

numerosa plebe quam maxime abundent.

§. XX.

Illud vero *morbi decrementum*, de quo supra §. XVII. adhuc magis elucebat sub *initium* mensis *Novembris*; abhinc enim in dies pauciores ægri & rariora funera conspiciebantur; & circa *medium*, vel si mavis, *sub finem mensis Decembris*, per summam Numinis gratiam, *morbus* per totam civitatem tandem plane *cessabat*.

§. XXI.

Omnium enim *postremus*, quem scio, & ad quem vocabar, ista lue ægrotantem, fuit famulus, qui a domino suo, jam ex hoc adfectu paucis ante diebus mortuo, per contagium eundem morbum contraxerat; hic die quarto Decembris decubuit, sed idem, dum rusticorum more, omnia fere respuebat auxilia atque remedia, *die vigesimo tertio ejusdem mensis* exstinctus, cumque eo malum finitum est, totaque civitas ex atroci hoc vulnere convaluit. (*b*)

§. XXII.

(*b*) *Pari sane modo Dysenteriam malignam in agro* Rintelensi *Anno* 1741. *epidemice grassantem, ac longe lateque serpentem, originem suam a contagio traxisse, ejusque propaga-*

§. XXII.

Itaque hic morbus per *integros quinque menſes* hic graſſatus, multas familias magno luctu, nec leviore calamitate adflixit. Rumor quidem in *fine menſis Decembris* dicebat, rure adhuc in non nullis vicis propinquis morbi veſtigia reperiri; ſed certi quid de eo compertum non habeo.

§. XXIII.

In vico autem *Gent*, *menſe Januario anni* 1737. aliquot adhuc ægros pauperes, vera Dyſenteria tactos, & ea exſtinctos eſſe, nobis a Viris fide dignis, ibi habitantibus, nuntiatum eſt.

§. XXIV.

Toto deinde menſe *Januario*, imo ipſo *Februario*, & *Martio* complures adhuc alvi fluore & lubricitate correptos tractavi, & qui-

---

*gatione ulterius diſſeminatam fuiſſe, morbumque ex pagana gente, ubi in principio ſubſtiterat, ſucceſſu temporis ad plebem oppidanam progreſſum feciſſe, multosque e medio ſuſtuliſſe, pluribus delineat Celeberr.* Furſtenau *in Act. Phyſ. Med. Acad. Natur. Cur. Vol. VII. Obſ.* 39. *pag.* 98.

quidem ſæpius plures in una eademque domo, imo ipſo *menſe Aprili*, quatuor ægri in iiſdem ædibus diarrhoea fere ſimul adfligebantur, in quibus unus erat, qui excrementa cruenta dyſentericis ſimillima deponebat; brevi tamen omnes, quotquot habui, facillima methodo, infra indicata, convaluerunt, utpote *vera Dyſenteria* minime laborantes.

## §. XXV.

Hic autem ſilentio prætereundum non eſt, non omnes, qui toto illo luis tempore aliquem alvi fluxum patiebantur, *Dyſenteria vera* laboraſſe; *diarrhoeæ* enim leviores, quas *Dyſenteriodes*, ſi placet, adpellare poteris; morbum dyſentericum non ſolum ſemper intercurrebant, ſed etiam adhuc vigebant, nec dum ceſſabant, ceſſante jam Dyſenteria.

## §. XXVI.

Fuerunt etiam adhuc illis menſibus, qui cum *reliquiis* & *ſequelis Dyſenteriæ*, quam per autumnum paſſi erant, etiamnum conflictabantur, vel quia ante minus ſalubri fuerunt corporis diſpoſitione, vel quia morbus non bene fuit ſanatus.

Inde rumor quidem ſemper fovebatur, acſi Medici adhuc ægros ex Dyſenteria labo-

borantes haberent; non vero fluxus dysentericus, sed potius *cœliacus* vel *lientericus*, pro ratione subjectorum, nunc dicendus fuerat, qui istos premeret, veluti ejusmodi ægri mihi tractandi hucusque obvenerunt, iique hinc eo lentius sanabiles erant, quo diutius languidum corpus traxerant, antequam curæ legitimæ committerentur.

## §. XXVII.

Porro ulterius ipso *vere*, cum jam siccior & calidior aër oriretur, dein mensibus æstivis, magis vero autumnalibus, usque ad finem *mensis Octobris*, hinc inde complures adhuc inventi sunt, qui *frequenti alvi fluxu* laborabant, & quorum semper aliqui excrementa mucosa, striis sanguineis mixta, deponebant, paucis vero diebus omnes cum sanitate in gratiam redibant, nihilque contagiosi suberat.

## §. XXVIII.

Ut vero ad nostrum *morbum* vere *dysentericum* redeamus, illius *Indoles historica* sequenti modo se habebat.

Non omnes æquali modo adflixit; sed quot hic morbus subjecta corripuit, tot fere diversa ægrotantium schemata exstiterunt.

*Duplex* tamen præcipue consideratio insti-

ſtitui debet, dum vel *malignius* vel paulo *mitius* homines malo infeſtabantur.

## §. XXIX.

Quos *malignius* malum infeſtavit, illi vel prægreſſis per aliquot dies *flatibus*, *borborygmis*, *doloribus* abdominis levioribus, *alvi ſegnitie* &c. vel etiam absque præviis illis incommodis, ſubito corripiebantur *alvi profluvio* admodum frequenti.

Accedebat ſtatim ſub initium mali, *faſtidium ciborum*, *nauſea*, *conatus vomendi*, imo *vomitus actualis*, una cum magna *virium proſtratione.*

Maxime vero ægrotos angebant *cardialgia* ſumma, *dolores*, *torſiones*, & *cruciatus inteſtinorum* graviſſimi, utpote moleſtiſſima morbi ſymptomata.

*Feces* per alvum ejectæ, in initio feces *cerevisiæ colore* æquabant, *flavæ* aut potius *ſubrufæ* erant, ſed ſenſim aut fiebant *porraceæ*, *æruginoſæ*, aut *ſubcruentæ*, *ſpumido-ulceroſæ*, loturæ carnis ſubturbidæ haud abſimiles, & paulo poſt, *tunicæ* interioris villoſæ *abraſiones* referebant.

Ut plurimum tamen parumper una vice ejiciebatur, imo *irritus* ſæpe totus fuit excernendi *conatus*.

Quidam ſucceſſu temporis interdum *cor-*

*pus-*

*puscula carnosa*, *carunculas*, & quasi *glandulas* parvas, ut & integra sæpius *fragmenta tunicæ* interioris & *membranæ intestinorum* abrasæ, excrementis cruentis & purulentis mixta, deposuerunt, quæ integra & solida exierunt.

Adhæc *præternaturalia* quædam, ex. gr. *pinguia* corpora instar *lardi scissi*, aliaque *glutinosa concreta* per inferiora vel superiora ejecta fuisse, vidi.

A quibusdam, *Lientericorum* more, cibus, potus, medicamenta, omniaque ingesta, cruda, non mutata, ejiciebantur, & quam primum guttam liquidi adsumserant ægroti, statim alvi fluxus cum molestia eos urgebat; intestina adeo laxa & relaxata erant, ut canalium mortuorum instar, nihil retinerent.

*Foetor* ut plurimum aderat putridus, cadaverosus, intolerabilis.

*Materia* per *vomitum* ejecta in aliis a fecibus alvinis parum differebat, adeo ut illam excrementa alvina fuisse crederes, nisi quod rarissime sanguine tincta fuerit.

In non paucis jam primo, secundo, vel tertio die percipiebatur *singultus*; plurimi vero paucis ante mortem diebus eodem corripiebantur.

In aliis, statim in principio morbi, *Lipothymiæ* erant frequentes.

*Febris* in aliis satis notabilis, in aliis vero

vel plane nulla, vel quæ vix percipi poterat, hæc ſymptomata comitabatur.

*Pulſus* in initio a naturali vix diſtabat, ſenſim vero & ſæpius jam tertio vel quarto die *intermittebat*; in quibusdam autem plane *deficiebat*. Tunc quoque *extrema frigebant*; interdum etiam aliquot ante mortem diebus pulſus & calor naturalis redibant, ſenſim vero plane iterum evaneſcebant.

*Lingua* erat arida;

*Sitis* urgebat & angebat ægros, ut potum ad palati gratiam excogitare vix poſſent.

*Agrypnia* & *vigiliæ* continuæ maxime quoque fatigabant ipſos.

*Urina* plerumque plane erat ſuppreſſa, ut intra ſex, octo, decem aut quatuordecim dies vix guttam emitterent;

In aliis vero ſtatim cum morbi adſultu aderat *ſtranguria* moleſta; urina rubella ſedimentum ex luteo cineritium deponebat.

*Teneſmus* vix tolerabilis complures excruciabat;

In aliis *ani procidentia* ſequebatur.

*Purpura rubra* in fine morbi non raro conſpiciebatur;

Rarius vero *aphtæ* accedebant;

Alii *puſtulis rubris* in cute variegati adparebant, quæ in ſuppurationem abibant.

Virginem vero nobilem vidi *maculis* & *tuberculis duris nigris*, quaſi *carbunculis vere*

*pe-*

*pestilentialibus*, per totum corpus sparsis, defœdatam, quæ in sphacelum lethalem terminabantur, ut rumor esset, illam peste exstinctam fuisse, quam tamen opinionem numquam non oppugnavi.

In paucissimis *subsultus tendinum*, aut *convulsiones*, modo totius corporis, modo solius abdominis observabantur.

*Deliria* quoque, sed tantummodo levissima, in moribundis notavimus.

Horum *oculi torvum* tuebantur, & *vultus distractus* erat, nec eodem loco manere, sed peregre abire volebant.

Sub his modo compluribus, modo paucioribus symptomatibus, magis magisque *invalescebat alvi profluvium*, & ex spumido-purulento fiebat *ichoroso-colliquativum*, *cadaverosum*, sensim sensimqne magis insensibiliter, ut ita dicam, effluens, & ægri intra *primam* vel *secundam periodum septenariam*, viribus plane exhaustis, *facie Hippocratica*, ut plurimum mentis satis adhuc compotes & cacaturientes, placide moriebantur. (*c*)

Nonnullos *intra tres* vel *quatuor dies* ita mortuos vidi. Men-

(*c*) *Dejectiones alvinæ involuntariæ, effluxusque fecum insensibilis, atoniæ paralyticæ, vel gangrænæ & sphaceli fere semper sunt signa.*

Mente vix concipi & credi poteſt, *quanta liquidorum humorum copia* in hoc morbo per inteſtina depoſita ſit. *Totum* fere *corpus* in liquidum ſolvebatur, & *per inteſtina expurgabatur*, ægrique tanta macie conficiebantur, ut nil niſi ſceleta ſine ullo ſucco adparerent.

## §. XXX.

Talis fuit triſtis hujuſce morbi facies, in quo ſummum ægri periculum incurrebant, & quidem hoc certius, quo gravius decumbebant.

Hoc nobis fere *univerſale* fuit *axioma*, & *prognoſticon; quo nimirum magis inopinato morbus aliquem invadebat*, & *quo gravioribus ſymptomatibus*, vomitu nempe, cardialgia, lipothymia, virium proſtratione, febre acuta &c. *ſtatim in principio ſtipatus* fuit, *eo gravius* etiam *adfligebat*, *ac eo citius*, *intra tres*, *quatuor aut ſex dies ad finem*, *ut plurimum lethalem*, *properabat;*

Et contra hoc levior & benignior morbus evadebat, ubi ſymptomata erant mitiora, & functiones animales magis ſibi conſtabant.

## §. XXXI.

In illis itaque, qui *mitiori* gradu adfligebantur, *ſimplex* quaſi, ſed fere *continua alvi*

*lu-*

*lubricitas* aderat, & *excrementa* primo *flavedine* aut *viriditate* aliqua *biliosa* plus minus tincta, dein *cruentata* magis & *spumida*, *tanquam albumine* ovi mixta, & sensim velut *ulcerosa* evadebant, ac indies magis magisque cum impetu profluebant; alii merum *mucum album*, striis sanguineis tinctum, mittebant;

Alii *sanguinem* purum, sincerum, satis notabili quantitate dejiciebant.

*Excrementorum fœtor* non adeo intolerabilis, imo in quibusdam feces fere sine omni odore erant.

*Fastidium ciborum*, & *nausea* non adeo multa; in aliis *adpetitus* satis bene sibi constabat.

*Tormina* & *cruciatus intestinorum* non adeo erant sensibilia, imo nonnulli plane iis carebant;

Nec hos *præcordiorum anxietates* multum vexabant.

*Somnus* & *vires* ipsos non ita relinquebant;

*Pulsus* in aliis, & præprimis in illis, ubi morbus in longum protrahebatur, motum febrilem leviorem indicabat, certam tamen periodum *febris* non servabat; quandoque *schema tertianæ anomalæ* ludere videbatur.

In his *sudor* facilius sequebatur.

*Defluvium* alvi cum reliquis symptomatibus sensim iterum minuebatur, fecibusque

ad naturalem conditionem redeuntibus, ægri vel paucorum, ſex, octo, decem, vel plurium, quindecim, viginti &c. dierum ſpatio convaleſcebant.

## §. XXXII.

*Generatim* porro in hoc morbo ſequentia notanda duximus; homines quidam per dies aliquot, antequam morbo infeſtabantur, *flatus* & *borborygmos abdominis* ſe audiviſſe quidem, ſed vix ſenſiſſe referebant; alii vero *flatibus* vehementer vexabantur;

Aliis ante morbi invaſionem *alvus* erat ſolito *adſtrictior*.

Deinde bonum fuit indicium in iis, qui *bilem flavam*, & adhuc magis, qui *bilem viridem*, quocunque morbi tempore, inprimis tamen ſtatim in *principio*, vel ſponte, vel medicamento exhibito, vomitu vel dejectionibus alvinis, excernebant; hoc ipſo ſæpius omnis propemodum mali fomes quaſi una vice auferebatur; & *quo citius hæc evacuatio fiebat, eo certius ægri convaleſcebant.* Sic complures ſubito correptos, & graviſſime adflictos evacuata multa bile viridi & æruginoſa brevi tempore ſanatos vidi.

*Sanguinis ſinceri excretio* per alvum non erat morbi ſymptoma eſſentiale & ſimpliciter pathognomonicum, neque tam mali ominis;

nis; ii enim, qui multum ſanguinis per alvum fundebant, quod tamen perpaucis evenit, minus periculoſe laborarunt, quam ii, quorum feces parum ſinceri ſanguinis ſecum efferebant, ſed ſolummodo album ſpumeum mucum viſcoſum, velut intermixtis ſanguinolentis ſtriis; hi namque vehementiora abdominis tormina ſentiebant, crebrius alvum ponebant, & virium majorem jacturam patiebantur.

Peſſimus fuit *fluor alvi colliquativus, purulento-cadaveroſus.*

Quidam homo valde robuſtus *uvas paſſas majores* integras cum reliquis fecibus ejecerat, quas octiduo ante morbum comederat.

*Vomitus cruentus* peſſimus erat: hominem tamen robuſtum, propinato vomitorio, multum ſanguinis puri rejicientem, brevi reſtitutum vidi; hic vero vomitus cruentus ipſi jam ſæpius familiaris fuit, ob lapſum, ut putabat, ex equo factum.

*Malignus* & *lethalis* fuit *vomitus*, ſi materia fœtida, purulenta, vel alia excrementis ſimilia ejiciebantur; inteſtina enim jam putrefacta, eorumque liquidum in ventriculum depoſitum eſſe, eo oſtendebatur.

Non omnem morbi adſultum comitabatur *febris*. Quo gravius enim malo laborabant ægri, & quo citius inde jugulabantur, hoc mitior ſæpius febris ex pulſu dijudicari

poterat, & defectu potius quam exceſſu ut plurimum errabat pulſus.

Non erat malum ſignum, quibus *dies tertius* moleſtior & gravior adparebat, hi enim certius emergebant, morbo diutius, interdum per tres pluresve hebdomadas, protracto.

*Criſin* aliquam morbus in eo monſtrabat, quod ii, qui inde moriebantur, maximam partem die quarto, initio ſeptimi, vel noni, decimo quarto aliisque diebus judicatoriis exſpirabant; in iis autem, qui e malo reſtituti ſunt, dierum criticorum ordo non ſervabatur.

*Convulſiones* ſemper mortis prodromi erant.

*Singultus* incipiente morbo non adeo funeſtus, ſed lumbricorum ſæpius in ventriculo ſtabulantium ſignum erat, at in ſtatu morbi ſuperveniens fatalem ſemper eventum indicabat.

*Anxietates præcordiorum* ſuſpectæ, & latentis putrefactionis, imo inſtantis ſphaceli, erant ſignum.

*Pulſus parvus*, debilis, vacillans, malum omen;

*Pulſus* vero *inæqualis*, inordinatus, altero momento celerrimus, altero lentiſſimus, erat pulſus morientis, & quo ſimilior modo dictis indiciis deprehendebatur, hoc periculoſior erat conditio ægri.

*Pul-*

*Pulſus* vero quocunque tempore *intermittens* & *deficiens*, gangrænæ in inteſtinis jam factæ & inſtantis mortis infallibile ſignum mihi ſemper exſtitit, neminemque novi, qui cum tali pulſu evaſerit, ſed omnes, quotquot ſimilem exhibuerunt, intra paucos dies obierunt.

Licet enim pulſus per intervalla ad ſtatum naturalem rediret, & per aliquot dies adhuc regularis exiſteret, ægerque melius ſe habere videretur, nihil tamen eo levabatur, imo poſt aliquot dies certo exſtinguebatur, Medicumque incautum non parum fefellit: proinde eidem neceſſe erat, ut quam diligentiſſime & patientiſſime per longum tempus pulſum exploraret, deque illo prudenter judicaret, ne imprudentiæ notam incurreret, nec ſalutem inſtante morte promitteret.

Nullus hic *Uromantiæ* & *Uroſcopiæ* erat uſus; omnia enim, quæ ex urinis ſumebantur *prognoſtica*, incertiſſima erant; præterea in aliis interdum per totum morbum plane deficiebat urina, ob ejus ſuppreſſionem & ſedium numerum, ut ne quidem inſpici potuerit; (*d*)

*Do-*

---

(*d*) *Eſtque hæc obſervatio in praxi clinica haud negligenda, dum experientia attenta con-*

*Dolorum remiſſio* manente fluxu fœtido, ichoroſo, fecium ſine ſenſu emiſſione, pulſu debili &c. malum ſignum erat, quod brevi mors inſecuta eſt.

*Lingua arida*, ſive ea in principio, ſive in fine mali areſcebat, cæteris paribus, non tam malum erat omen, liquida tantum expoſcebat.

*Purpura rubra* in fine morbi ancipitis erat eventus ſymptoma, vix enim umquam ægri levamen inde percipiebant, licet rite ſuccedente purpura.

*Aphthæ* vero ſemper funeſti exitus præſagium erant.

Quibus in fine morbi *puſtulæ* & *furunculi* erumpebant, illi, his rite ſuppurantibus, bonum nacti ſunt exitum.

*Stranguria* & *dyſuria* in fine morbi pejoris ominis, quam in initio erant, ubi plerumque nil mali portendebant; neque etiam in fine morbi multum mali ex unico hoc ſymptomate metuendum erat, reliquis bonis exiſtentibus.

Te-

---

*conſtat, in* Epidemiis *&* morbis malignis *pæne omnibus, ubi vitium in ſubtilioris ſanguinis & humorum miasmate reſidet, ex urina nihil aliud innoteſcere & emergere, quam nugarum cohortem.*

*Teneſmus* plus moleſtiæ, ſed minus periculi adferebat, & melior fuit, quam ſi inſcio ægroto ſordes effluebant.

Multi ægrotorum *lumbricos*, vel per ſuperiora vel per inferiora, reddebant, nullo malo præſagio.

*Magna virium proſtratio*, *animi deliquia*, *cardialgia*, *conſtans deglutiendi difficultas*, *viſus obſcuritas*, *inquietudo*, *mentis alienatio*, ut ſi ædibus ſuis exulare deberent, *deliria levia*, *floccorum collectio*, *extrema* valde *frigida*, *oculi* inſigniter *cavi*, prout in facie Hippocratica deſcribuntur, periculoſa, imo plerumque lethalia, erant indicia.

*Ramenta inteſtinorum* abraſa, *carunculæ* & *ſolidæ membranarum partes* ſi excernebantur, funeſtus erat ſtatus.

Non deerant *crepitus ventris*, quos absque fecibus emiſſos aliqui pro bono habuerunt ſigno, ſed tamen nihil certi inde colligi poterat.

*Sudoris ſpontanei* ſucceſſus bonum præſtabat effectum, arte vero excitatus, ſperato hoc ſucceſſu ut plurimum deſtituebatur; nec eidem ob alvi fluxum, uti oporteret, operam dare poterant ægri.

Nec hoc omittendum eſt, me in tanto numero adflictorum ne unicum, de *capitis dolore* conquerentem, audiviſſe.

§. XXXIII.

## §. XXXIII.

*Omnis ætatis* & *ſexus* homines, imo ipſos *infantes lactentes*, matre ſana exiſtente, morbus hic adortus eſt, magis vero *laxioris, ſpongioſioris* & *repleti*, quam ſtrictioris & ſiccioris habitus corpora, inprimis vero *ſexum ſequiorem* infeſtavit, ſiquidem plures feminæ quam mares ab eo correptæ ſunt, ita ut quibusdam *mulierum morbus* adpellaretur.

*Menſium fluxus* morbo ſuperveniens nil mali portendebat, dummodo periodum & ſucceſſum legitimum ſervabat; extra periodum vero prorumpens malum magis adgravabat.

*Gravidis* & *puerperis* plerumque periculoſus exſtitit hic alvi fluxus, ſecundum Hippocratis Aphoriſmum 34. Sect. V. *Mulieri in utero gerenti, ſi alvus multum fluxerit, periculum, ne abortiat.* Et porro Sect. III. Aphoriſm. 31. *mulierem gravidam morbo quodam acuto corripi, lethale;*

Ita quoque aliæ ſtatim ſub mali initium, aliæ vero ſuperato jam morbo, aliquot hebdomadas poſt, abortum patiebantur, quandoque triſti cum eventu: multæ tamen etiam, imo, quod notandum, plurimæ Dyſenteria ægrotantium apud nos fœtum ad juſtum parturiendi tempus retinuerunt.

Sic inter complures gravidas, quas tractavi, duas tantum offendi feminas, quæ ſexto circiter graviditatis menſe fœtus, vivos licet, brevi tamen poſtea morientes, arbortierunt: harum altera feliciter evaſit, altera, quæ in morbi recidivam incidit, & ſub hac partum enixa eſt, diem obiit ſupremum.

In alia ſub ipſa Dyſenteria, qua graviſſime decumbebat, *partus terminus* incidit, matre fœtuque eluctantibus, imo optime lactante, & lactente, contra obſervationem illorum, ubi *puerpera dyſenterica* infantem lactaverat, unde idem terribili modo convulſus interiit, aut ubi parvi *catuli* ubera puerperæ dyſentericæ ſugentes, diarrhoea ac vomitu correpti ac mortui ſunt, acſi *cholera* laboraſſent.

*Infantes* & *ſenes*, item *debiliores*, *valetudinarii*, qui viſcera fortia non habebant, vel aliis morbis debilitati; ex. gr. *venereo morbo* fatigati, *cachectici*, *phthiſici*, aut quibus occulta *in viſceribus* hærebat *labes* &c. maximo periculo expoſiti erant, morbique violentiæ minus reſiſtere poterant, quam robuſta & ſana corpora; quamvis & *infantes* tractaverim *lactentes*, quibus parum medicamentorum, & hæc non niſi per ubera matris ſanæ propinari poterant, qui tamen eluctati ſunt.

§. XXXIV.

## §. XXXIV.

Tandem adhuc notandum eſt, morbum, qui in *plebe* primo ſe manifeſtavit, & ex illa plures morti dedit, ſenſim etiam ad *lautioris conditionis* homines & *divites* tranſiiſſe.

Deinde & hoc ſingulare videtur, morbum in principio graſſationis ſuæ jam ſatis acutum & lethalem, in ſui decremento maligniorem fere evaſiſſe, violentioribusque ſtipatum fuiſſe ſymptomatibus, id quod ſane contra vulgarem contagioſorum morborum indolem eveniſſe videtur.

## §. XXXV.

Poſtremo & hoc notandum eſt, *nationem Gallicam* ab hoc morbo fere immunem manſiſſe, e qua duo tantum viri annoſi eodem correpti ſunt ac occubuerunt:

*Judæi* vero omnes, a vera Dyſenteria, quantum comperire potui, plane immunes exſtiterunt, & ne unicus quidem ex iis cum hac lue conflictatus eſt.

Adeoque & hic loci confirmata obſervatio, quæ jam in aliis morbis contagioſis vera fuit, nempe, *unam nationem ab iis magis adfligi quam alteram.*

§. XXXVI.

## §. XXXVI.

Morbo minus bene ſuperato, aut methodo incongrua tractato, alii *leucophlegmatia* & *tumoribus pedum œdematoſis* adficiebantur, quæ tamen ſymptomata, adhibitis congruis remediis, facile cedebant.

In quibusdam morbus degenerabat in *lienteriam*, multo labore ſanabilem.

Alii, & quidem antea *valetudinarii*, ſuperata Dyſenteria, per aliquot adhuc hebdomadas, multum *chyli albi*, qui a pulte farinacea haud abhorrebat, cum fecibus naturalibus mixti, vel poſt eas, dejiciebant.

In aliis, in quibus morbus in longum tempus fuit protractus, in *ulcus* quaſi *cancroſum* terminabatur, ex quo, per multas hebdomadas decumbentes, tandem interibant.

Alii aliquot menſes ita adfecti, imo per totam hiemem cum *alvo laxa* conflictati vitam trahebant, viribus aliquantum adhuc valentibus.

Multi de *debilitate* & de *frigore ventriculi*, de *abdomine male adfecto* & *dolente*, quo vix ferre poſſent adpenſas veſtes ſeu tunicas, ut & de *flatibus* conquerebantur.

Alii Dyſenteriam paſſi *famem* fere inſatiabilem inde reportabant.

In *recidivam* valde periculoſam incidebant, qui, morbi curam negligentes, ſe nimis

mis cito ſanatos putabant, fomite mali non ſatis expurgato.

Sic inter alios tractavi gravidam, quæ, uti modo ſupra enarravi, ſeſe jam reſtitutam credens, *medicamenta* præſcripta ulterius *reſpuit*, ſub *ſpecioſo graviditatis prætextu*, brevi tamen poſt in eundem morbum recidit, & ſimul abortum ſex menſium paſſa, ipſa progrediente Dyſenteria, die decimo quarto mortua eſt.

Puer alius, quem parentes *ſine medicamentis ſanatum* putaverant, poſt duas hebdomadas in idem incidit malum, eoque exſtinctus eſt.

Eundem recidivæ adſultum paſſi ſunt, qui feſtinato nimis *libero aëri* ſeſe expoſuerunt.

## §. XXXVII.

Tandem & hoc ſilentio non eſt prætereundum, omni illo tempore, quo Dyſenteria graſſabatur, *omnes alios morbos*, excepta diarrhoea, & uno vel altero varioloſo, fere plane *ceſſaſſe*, pauciſſimosque novi, qui alio, quam hoc ipſo morbo contagioſo, lecto adfixi decubuerint; quod phænomenon cum alii in peſte etiam obſervaverint, illorum ſententiæ accedere non dubito, qui ſtatuunt, alios morbos tempore luis contagioſæ larvam epidemice graſſantis mali ſæpius induere,

re, ſeu in eam abire. Et hæc mihi ratio videtur, cur in quibusdam Dyſenteria ægrotantibus ſe ſpecies febris tertianæ manifeſtarit, dum ægroti tertio quoque die gravius laborarunt. *

Subjecta enim morboſa, ſeu homines minus bene diſpoſiti, contagio facilius expoſiti ſunt.

## §. XXXVIII.

Ultimo, *contagioſum* hunc *morbum* fuiſſe inde adparebat, quod, cum domus ſemel infecta eſſet, plures vulgo eodem ſucceſſive corriperentur, qui modo gravius modo levius conflictabantur.

Vidi enim integras familias, in quibus ne unicus ab hoc malo immunis manebat. Vidi alias, in quibus pauci adfligebantur. Vidi

---

* *Idem obſervavit Clar.* Mortonus *in Dyſenteria epidemica Londinenſi Ann.* 1666. *declarans: durante ejus ἀκμῇ, menſe ſcil. Septembri & Octobri, quo tempore Συνεχὴς ſimplex graſſari ſolebat, vix quemquam alium morbum obtinuiſſe. In quibusdam tamen larvam febris intermittentis, per paroxysmos ſtatos violentius recurrentis, induebat morbus. Vid.* Exercitat. de morb. univerſal. acut.

di etiam alias, in quibus unicus tantum a morbo hoc infeſtabatur, cæteri omnes liberi manebant.

## §. XXXIX.

Contagium vero hoc intra corpus receptum *non adeo violentum* fuit, ut adſtantes ſtatim proſterneret; hoc enim raro accidit, alios vero non niſi poſt aliquot dies, imo poſt unam alteramve hebdomadem morbus invadebat. Per longum tempus enim virus hoc in corpore latere poterat, antequam ſe prodebat, viresque ſuas exſerebat, ut ægri ſæpe ignorarent, quo tempore, quave occaſione malo adflati fuerint?

Unum etiam ſubjectum præ altero ad hunc vel illum morbi fomitem magis diſpoſitum eſt. (*e*)

§. XL.

---

(*e*) *Ad morbos malignos ſuſcipiendos* certa corporum diſpoſitio *adeſſe debet, quod manifeſtum ſit, quando ſæpe plures inter ægros infectos verſantur, & res infectas tractant, qui tamen a contagio liberi manent; id quod ſpeciatim in peſte obſervatur, ubi hoc contagium ſe maxime exſerit in corporibus, quæ ad corruptionem fermentativam diſpoſitos habent humores.*

## §. XL.

Deinde miaſma hoc contagioſum non eandem obtinuit violentiam in omnibus, nec omnia corpora ab eo adfecta, pari malignitate contagioſa, reſpectu aliorum, imbuta fuerunt; in nonnullis potius ædibus periculoſior erat morbi conditio magisque inficiens, quam in aliis, qui & in his plures, in aliis pauciores interemit; itaque alter altero citius aut lentius inficiebatur, & gravius laborabat, *prout a quopiam contagium contraxit*, qui aut facile *ſanatus* fuit, aut illa lue *interiit*:

Plures enim ab iis, quorum morbus exitialis fuit, infecti ſunt, quam ab aliis, qui a morbo convaluerunt: gravius etiam adfligebantur, & curatu erant difficiliores, qui a moribundis, quam qui a convaleſcentibus infecti ſunt. In his enim exhalationes minus putridæ & venenoſæ fuerunt, & inquinamentum morbificum benignius, quam in illis, quorum morbus lethalis exſtitit; nam in exſtinctis venenum humores in ſummam corruptionis & prutredinis ἀκμὴν perducit, qui hanc ob cauſam viciſſim exhalationes lethales emittunt, aliorumque hominum humoribus acrius diſſolutionis ſtimulum imprimunt (*f*); Ex

---

(*f*) *Sicuti remedia pharmaceutica a pluri-* *bus*

Ex qua re etiam *analogia* inter hunc & alios morbos contagiosos animadvertere datur.

§. XLI.

Facillime morbo corripiebantur, quorum erat ægrotis & morituris opem ferre, inprimis vero, qui eis repurgandis, & *excrementis* auferendis, manum admoverant, aut usurpata linteamina laverant, eaque præstiterant, quæ cum gravi *excrementorum fœtore* conjuncta fuerant, hinc in *famulos* & *famulas* facile morbus transibat, qui & plurimum periculosissime luctabantur.

§. XLII.

Et hæc *generalis hujus morbi* est *historia*, ex qua ejus *natura* & *indoles specifica* Medico satis patebit, quamque mox ulterius enucleabimus.

Nunc,

---

*bus assumta, non unum eundemque in omnibus, sed diversos edunt effectus; sic etiam* miasmata venenosa *non universis semper similia, sed diversis diversa sæpius inferunt symptomata, pro* diversa corporum conditione.

Nunc, tantum majoris illuſtrationis gratia, unum aut alterum lethalis aut ſalutaris eventus *exemplum* adducam.

Ita *femina* 35. circiter annos nata, habitus ſucculenti, die 25. Octobris ſubito *ſumma cardialgia*, *lipothymiis*, *vomitibus continuis materiæ feculentæ*, *putridæ* veluti, correpta fuit. *Feces* hæ *per ſuperiora* excretæ ſimiles erant illis, quæ per inferiora magna quoque quantitate ſimul ejiciebantur. Die ſecundo fere *ſyncoptica* facta, die morbi tertio jam *pulſum intermittentem* ſiſtebat, qui die quarto plane *deficiebat*; *facies* mortem propinquam ſignificabat; *algebat* per totum corpus, & ſub *continuis his ſymptomatibus*, absque ulla fere remiſſione aut medicamentorum levamine, die octavo exſpiravit.

Alius *juvenis*, 20. annorum, macilentus, valetudinarius, die primo Novembris Dyſenteria adflictus fuit, continua fere cum *cardialgia*, *nauſea*, ac *doloribus inteſtinorum* valde *acutis*, die ſecundo jam multum *materiæ* quaſi *purulentæ liquidæ* dejiciebat: die tertio *pulſus intermittebat*, & die quarto plane *ceſſabat*, cum inſequente *frigore extremorum*, imo totius corporis. Redibat quidem die quinto & ſexto ſenſim pulſus & calor naturalis; & die ſeptimo etiam cardialgia, nauſea, dolores in abdomine & dejectiones alvinæ paulisper minuebantur, ut ægrum

melius ſe habere crederent adſtantes: patiensque idem adfirmabat; at audiebatur hoc ipſo, & inſequente die octavo interdum *ſingultus*, inopinatoque inter ſermones præſentium die nono placide exſpiravit æger, cum nihil minus quam ejus mortem exſpectarent domeſtici.

Alius *vir* tricenarius, in cujus ædibus jam quatuor homines ſucceſſive Dyſenteria laboraverant convaluerantque, mihi obvius factus eſt in platea, die 23. Sept. ſub veſperam. Is quintus, ut & paterfamilias, hilari mente lætabatur, ſe hucusque liberum manſiſſe; ſed inſequenti nocte *Dyſenteria* cum *vomitu* adeo vehementer eum inceſſit, ut *viribus* maxime *proſtratis* ſtatim lecto adfigeretur, & altero mane crederes, eundem jam per menſem decubuiſſe. Adeo vehemens adſultus initio me ſollicitum habuit; at evacuata multa bile flava ac viridi, Dyſenteria cum reliquis ſymptomatibus intra biduum ceſſavit, ac patiens brevi plenarie reſtitutus eſt.

Alia *femina* octogenaria ſana ſibi viſa, die undecimo Octobris e templo rediens circa horam nonam matutinam ex improviſo *vomitibus* ac *dejectionibus alvinis*, *bilioſo-feculentis*, adeo frequentibus, conjunctis modo *lipothymiis*, modo *convulſionibus* intercurrentibus, corripiebatur, ut circa horam undecimam nocturnam jam per ſemihoram

pro

pro vere mortua haberetur; rediit tamen ſenſim ad ſe, & ceſſantibus ſucceſſive modo dictis malis, intra biduum faucibus mortis erepta eſt.

## §. XLIII.

Hoc modo poſſem multa exempla dyſentericorum allegare; at, cum vix duo ægri indicari queant, qui in omnibus circumſtantiis plane conveniſſent, contra alter ſemper altero periculoſioribus ſymptomatibus laborarit, non video, qualem utilitatem talis labor allaturus ſit, ſiquidem Medicus ex prioribus per ſe decernere valet, quo in ſtatu ſuus verſetur æger; ideoque hæc ſufficere jubentes, ad ipſam morbi *cauſam*, ejuſque inquiſitionem tranſibimus.

# C A P. II.

*Continens Cauſas Dyſenteriæbilioſo-contagioſæ.*

## §. I.

Nil pulchrius ſane, ſed & nil difficilius eſt in Medicina, quam *phyſicas morborum cauſas* cognoſcere, easque per rationes evidentes demonſtrare. Tot ſæpe & tam

tam varia hic concurrunt ſymptomata, tot diverſi effectus, ut in oſtendenda & indicanda *vera cauſa reali* non raro acutiſſimi hæreant Medici, diverſasque in partes abeant. Si unquam peccatur in *fallacia cauſæ pro non cauſa*, ut Philoſophi loquuntur, certe illud in hoc articulo in Medicorum ſcriptis offendimus, ut inde *conjecturalem* potius, quam *rationalem* artem noſtram declarandi occaſionem nacti ſint inimici. (*g*)

## §. II.

Et certe me nunc opus adgredi longe diffi-

---

(*g*) *Dum cauſas morborum multas, aſt ſæpius fallaces, profitemur, multum Medici intereſt, cauſarum ſigna a ſignis effectuum, hoc eſt, facientis ſigna a ſignis facti, ſollicite diſtinguere.*

*In omnibus enim rebus, quæ a natura fiunt, infinitus fere cauſarum progreſſus invenitur, dum ſemper cauſa producit effectum, qui poſtea fit cauſa alterius effectus, & ſic porro; quos omnes e tenebris in lucem proferre, humano ingenio datum non eſt; ſufficit phyſico-medico, ſi ipſi contingat proximiores earum rerum, quæ præter naturum in corpore humano eveniunt, cauſas phyſicas cognoſcere.*

ficillimum, is demum facile intelligit, qui me *de cauſis hujus morbi epidemico-contagioſi* commentaturum videbit. Illi potius Medici, ſi non acuti & accurate loquentes, ſatis tamen ſibi ſapientes videntur, qui ab aliis de cauſa hujus mali rogati, in promtu habent reſpondere, hoc *ab aëris infectione*, & *venenoſitate*, ut ſic dicam, pendere; quo quidem nihil dicentes, nec ipſi cognoſcentes, ſibi tamen ignorantique vulgo optime ſatisfeciſſe videntur.

## §. III.

Si vero hanc rem accuratius inſpiciamus, negligentia maxime culpanda notandi ſunt tales artis Magiſtri, ubi in re tam magni ponderis circa generaliora & incerta tantummodo cum ignorante plebe ſubſiſtunt, nec in propiorem & *ſpecificam* cauſarum *rationem* inquirunt, præſertim in caſu, ubi illas ipſas cauſas omnibus viribus oppugnare, & oppoſitis remediis tollere, tota Medici verſatur ars & ſcientia.

Contra umbram tales pugnant Medici, qui hanc noſtræ artis partem negligunt, nec ipſi, quid faciant, aut quid faciendum ſit, intelligunt.

## §. IV.

Hic error ſatis nobis liquet, omnesque eruditi facile mecum conſentient, tam brevem tamque *obſcuram morborum epidemicorum Aetiologiam*, qua omnis cauſa modo ſimpliciter in aërem rejicitur, ſegnes facere Medicos, eosque levare labore inſtituendi juſtas & rationales morborum obſervationes. Verum enim vero, ex altera parte liberrime fateor, *me mihimet ipſi in noſtro caſu non plane ſatisfacere*, ac propemodum dubium hærere, num certius aut melius quid in medium prolaturus ſim, quicquid etiam laboris in hanc rem indagandam impenderim.

## §. V.

Si quis enim ex me quæſiturus eſſet, quænam *cauſa procatarctica* ſit, unde *morbus ille epidemico-contagioſus*, *dyſentericus*, certo tantummodo tempore ortus & graſſatus ſit? ſane & ipſe certam quoque aëris qualitatem cauſari cogerer; at ſi ulterius urgear, *quænam & qualis* proprie *hæc certa aëris qualitas & conditio* ſit, quæ certis temporibus ac tempeſtatibus, menſibus nimirum æſtivis & autumnalibus, hanc luem vulgo producere apta ſit? mox infra oſtendere cogar, nec dum circa hoc inter Medicos conve-

venire, ſed varias ac diverſas aëris conſtitutiones & mutationes ab illis allegari.

## §. VI.

Ubi autem tandem quis roget, quænam porro ſit *materia illa phyſica morboſa*, aut in quo proprie peculiaris ejus qualitas conſiſtat, ut certo tempore, aut, ſi mavis, a certa aëris mutatione ſemel nata, atque uni adplicata homini, aliis deinde ſeſe communicet, ac per *contagium* totam civitatem, imo regionem inficiat? tunc ſtatim in limine cum omnibus Medicis cordatis ingenue fateri non erubeſco, *non imaginabilem*, *nec dum explicabilem* adhuc illam exſtitiſſe; vera enim & ſpecifica illius indoles neque a prioribus Medicis ſatis cognita & perſpecta fuit, neque nobis adhuc ſatis patet.

## §. VII.

His præmiſſis, mihi facile objici poſſet, plane ſupervacaneum, imo ineptum quid, me ſuſcepiſſe, qui rem inquirere atque demonſtrare adgredi velim, de qua tamen in anteceſſum faſſus fuerim, *neminem unquam mortalium id feciſſe*, *nec quemquam præſtare poſſe*; quæ objectio, quamvis non plane abſurda, nos tamen non proſus deterrebit,

quo

quo minus aliquem laborem, tentandi gratia, ſuſcipiamus ac experiamur, quouſque pervenire poſſint ingenii noſtri vires, & quinam porro *artis limites* nobis in ejuſmodi perquiſitione poſiti ſint; quod, ſi ea attentione atque ἀκριβέια fiat, qua par eſt, & rei ipſius gravitas poſtulat, illa opera non plane inutiliter erit collocata, verum in perveſtigatione morbi ulteriore tantum lucis affundet, ut ea in praxi clinica bono cum fructu uti poſſimus.

## §. VIII.

Et quoniam iſthoc ipſum experientiæ ope ſummo cum ſucceſſu ita expertus ſum, rem rationibus & experimentis adeo luculentis eouſque exhaurire ac demonſtrare ſatagam, ut cauſas in noſtro morbo eatenus clare concipere poſſimus, quatenus pro eisdem poſſint haberi, neque cogamur, ſine rationali pathologico nexu & conſiliorum rationibus ſufficientibus, ex fortunæ arbitrio, patientes tractare.

## §. IX.

Annumerantur autem generatim morbis *contagioſe*, vel ſi mavis, *epidemice* graſſantibus, *Peſtilentia*, *febres catarrhales*, *petechiales*,

*les*, *Variolæ*, *Morbilli*, *Dyſenteria* aliique, quorum omnium culpa confeſtim in aërem transfertur; verum etiam illi omnes & ſinguli quam maxime inter ſe differunt, dum quilibet eorum non ſolummodo ſpecialia ſymptomata & ſigna ſiſtit, ſed etiam intimiorem cognitionem, tam ratione Theoriæ, quam ratione Praxeos poſtulat, quænam nimirum cauſa methodusque ſpecifica in cognitione & adplicatione remediorum, tanquam antidotorum, ad hos diverſos morbos cuilibet conveniat.

§. X.

Hæc morborum *epidemico-contagioſorum* adeo notabilis inter ſe *diverſitas* in indaganda illorum cauſa vera, non ſola eſt difficultas; maxima adhuc in eo verſatur, quod *quilibet talis morbus*, quotieſcunque in genere *ſemet ſiſtit*, *toties diverſum* a ſe invicem *habitum induat*, ac in ſua ſpecie adpareat mutatus, diverſus, imo priori malo epidemico contrarius; idque in tantum, ut non ſolum uno tempore periculoſior, atque adeo curatu difficilior exſiſtat, quam alio, ſed &, quod pro varia, imo priori malo contraria indole, etiam aliam & ſæpe contrariam medendi viam expoſcat.

§. XI.

Hujus rei admodum notabile exemplum habuimus in *Dysenteria*, quæ nos hoc tempore adflixit, quamque *bilioso-contagiosam* adpellavi, ad differentiam illarum, quæ sanguinolentæ, albæ, mucosæ &c. audire consueverunt. Falluntur enim, & fallunt sese Medici, qui nostram Dysenteriam sanguineam, albam, griseam &c. fuisse statuerunt, cum *biliosa potius materia* hic peccaverit. Inde accidit, ut indoles hujus ab aliis Dysenteriis adeo diversa, Medicisque adeo fallax videretur, ut, qui ad hanc rem animum non attenderent, nimis sero animadverterent, se a scopo multum aberrasse.

§. XII.

*Causas* vero *physicas mali dysenterici*, uti generaliter in omni, sic etiam in specie, nostra in Dysenteria Medici quærunt sequentes:

(I) In *certa* quadam *aëris dispositione*; alii enim aërem simplicem, nimis siccum & intense fervidum, æstuosum; alii aëris fervidi cum humiditate nebulosa & flatibus austrinis conjuncti temperiem; alii subitas, frequentes & notabiles, incipiente autumno, æstus & frigoris vicissitudines & muta-

tio-

tiones incuſant. Quidam a *corporum cœleſtium* variis motibus & influentiis, itemque a *phaſibus Lunæ* cauſam derivant. Creduli infeſtum *aëris inquinamentum*, cœlitus demiſſum, aëremque ipſum corruptum, venenatumque eſſe venditant.

(II) Alii cauſam Dyſenteriæ deducunt ab *externa ſublunarium effluviorum putredine*, exempl. gr. ab exhalationibus ex aqua ſtagnante putrida, ſeu *lacunis*, aliisque rebus putreſcentibus; alii *evaporationes terrenas venenatasque*, & *ſalis volatilis corroſivi, ex terræ antris ſublimati*, ſpicula excogitant, illas cauſis mali dyſenterici annumerantes.

(III) Alii dicunt, *morbum* eſſe *plebis*, a malo vitæ regimine obortum, & hinc modo *fructus horæos*, cucumeres, melones, pira, pruna, omnisque generis nuces, mala perſica, uvas &c. ut & *potulentorum fermenteſcentium* ingurgitationem, modo vero frequentem uſum *ſeri lactis* accuſant.

(IV) Adhuc alii alias ſingulares cauſas arceſſunt: nempe *aquas* per *canales plumbeos* defluentes, *eſum carnis ſuillæ*, ſi ea comeſta homines ſtatim bibant; nonnulli *aquam frigidam*, *vermes* & alia, quæ otioſa ingenia excogitare ſolent.

## §. XIII.

Cum vero *Dysenteriæ*, generaliori nomine acceptæ, *causa* esse possit omne id, quod adsumtum inflammationem, corruptionem & suppurationem in ventriculo & intestinis, eorumque succis, promovet, ex. gr. omne fermentum, esculentum vel potulentum, omne acre, stimulans, corrodens, evacuans, omnia peregrina caustica, omnia malæ nutritionis ingesta &c. hæc tamen pro casibus tantummodo peculiaribus benignioris Dysenteriæ *sporadicæ*, vel potius diarrhœæ haberi debent, non vero constituunt morbum *contagiosum*, epidemice grassantem, quod *criterium est veræ Dysenteriæ*, qualis hic desæviit; hinc in iis causis singulariter discutiendis non diu moraturus, eos primario tangam casus, qui tanquam præcipui, & Medicorum attentione digni habentur. (*h*)

§. XIV.

---

(*h*) *Maxime notandum hic erit*, Dysenteriam veram esse adfectum specialissimum, *& velut per excellentiam, hoc nomine nuncupatum, illamqne, ut jam alibi notavimus, semper esse malignam*, contagiosam, *utpote quod* contagium *attributum essentiale & proprium, ac criterium inseparabile est veræ Dysenteriæ.*

## §. XIV.

Antequam autem ad diſcuſſionem harum *cauſarum ſecundarum* tranſeamus, ante omnia adſcendendum eſt ad *primam*, quam principalem, agentem, moventem, ſeu ſi placet, *Metaphyſicam* cauſæ phyſicæ adpellamus. Non enim ſolum omnes morbi juſtæ ſunt peccatorum noſtrorum pœnæ, adeo quidem naturales, phyſicæ, &, ut ita dicam, indiſpenſabiles, ut hominibus contra regulas naturæ inſitas vix peccare liceat, quin gravius aut levius inde, etiam phyſice, puniantur, & verum ſemper apud nos evadat proverbium: *Per quod quis peccat, per idem punitur & idem:* ſed & præterea homines morbis puniuntur, ubi nullam, vel ſaltem certam, & veram cauſam in phyſicis demonſtrare vix poſſumus.

In

---

Dyſenteriæ *vero* ſporadicæ, *peculiares, a cauſa peculiari in hoc vel illo ſubjecto repertæ, excitantur, benignioris indolis ſunt, & omni infectionis ſuſpicione vacant; & licet aliquando tanquam Epidemicæ graſſari videantur, tamen non niſi latiori ſenſu Dyſenteriæ, ſed potius* diarrhoeæ dyſenteriodes, *dicendæ erunt.*

In his casibus *Deus* utitur *morbis* tanquam *flagello extraordinario*, quo invalescentem prævaricationum numerum alicujus urbis aut regionis peculiari & gravi modo vindicare, & simul mortales a peccatorum erroribus revocare, aut eorum incrementum sufflaminare nititur. Ita a *Syracide* cap. XXXVIII. vers 15. pulchre dicitur: *qui in Creatorem suum peccat, incidet in Medici manus*; & Cl. *Diemerbroekius* caussam calamitatis sui temporis declarare volens, eam sequentibus exprimit verbis: „ Prima & primaria causa est justissima summi Dei ira, quam turpissimæ ac deterrimæ exhalationes, e stagnis fœdisque peccatorum nostrorum cloacis sursum elatæ, provocarunt & incenderunt.

§. XV.

Hanc quoque caussam *castigationis divinæ* penes nos obtinuisse, & pro primaria habendam fuisse, dum nostra civitas præ aliis tam singularem ultionis gravitatem experta est, a multis probe agnitum & publice declaratum est, nec a quoquam, cui sincera & sana mens erit, in dubium vocabitur. Exemplum modo capiant alii, sibi mitiora non imminere, quam quæ nos tempore adflictionis pertulimus, & in memoriam

riam ſibi revocent ſalutarem exhortationem *Salvatoris* noſtri ad Judæos Luc. XIII. *Sed vos, niſi ad frugem redieritis, omnes ſimiliter peribitis.*

## §. XVI.

Quod vero ad *cauſas ſecundas*, & primo ad *aërem* attinet, Medicorum quidem fere omnium ſententia eo vergit, ut non ſolum confeſtim *omnium morborum Epidemico-contagioſorum*; ſed & in ſpecie *Dyſenteriæ* graſſantis culpam, uti jam dictum eſt, in aërem transferre velint, ob rationem; quod plures ſimul adfliguntur; ſed ſi porro quæritur, quomodo *aër ille diſpoſitus* & comparatus ſit, aut qualis ejus *conſtitutio ſpecifica* adeſſe debeat, ut adeo *ſpecificum effectum* exſerere, & ſpecifice, *morbum contagioſum certi generis*, excitare potens ſit? ſupra jam vidimus, de hac re non omnium eandem eſſe ſententiam, & ipſam non adeo apertam, aut extra controverſiæ aleam poſitam eſſe.

Miſcroſcopiorum enim noſtrorum nondum ea eſt claritas, ut eorum ope cujusvis aëris mutati figuram ſpecificam, aut *ſpicula illa morbifica*, in aëre ſuppoſititie volitantia, oculis ſubjicere queamus: potius rationis humanæ infirmitas ubique patet, ſi omnium illorum eventuum rationes phyſicas ſemper in aëre quærere velimus.

## §. XVII.

Experientia enim magiſtra jam abunde edocti ſumus, quod, quotquot fuerint *Meteorologi*, qui quovis die aëris in *Thermometro* & *Barometro* effectus, ejus calorem & frigus, gravitatem & levitatem, ventorum ſtationes, humiditatis & ſiccitatis viciſſitudines, tonitrua, grandines, &c. annotaverunt, ac per complures annos continuaverunt, ne unicam tamen regulam inde invenire & ſtabilire potuerint, qua certo liqueat, aut quisquam a priori prædicere valeat, ex hac vel illa aëris diſpoſitione, aut tempeſtatum mutatione ſpecifica, hunc vel illum morbum ſimplicem ſolummodo in genere, multo minus alium epidemicum aut contagioſum malignum, certa & neceſſaria conſequentia phyſica, ortum fuiſſe, aut unquam certo oriturum eſſe, quæ tamen omnia prius probanda, & firmis rationibus & experimentis ſtabilienda eſſent, ſi iisdem inniti poſſemus.

## §. XVIII.

In hanc rem libenter quidem *obſervationes Meteorologicas* ad annum noſtrum in curioſorum gratiam addidiſſem, num forte quosdam *Dyſentericos aëris atomos* in iis dete-

te-

tegere potuiſſent alii; ſed quia illarum conſtitutionum obſervationes ipſe non inſtituetam, nec iisdem per alios potiri potui, curioſi hujus rei easdem, ab aliis notatas, alibi invenire poterunt.

At vix credo, quemquam ex iis demonſtraturum fore, aërem noſtrum corruptioni dyſentericæ magis obnoxium fuiſſe quam alibi.

## §. XIX.

Nimis longum foret, cujusvis opinionem circa hanc rem ſingulatim recenſere & ſub examen vocare; plerique tamen in hoc conſentiunt, ut *Dyſenteriæ ſtatutum anni tempus* adſignent, nempe æſtatis finem & autumni initium; hinc cauſam hujus morbi e calore diurno & frigidioribus noctibus, ſemet invicem excipientibus, petunt: unde tamen & alii porro ex eo contendunt & concludunt, Dyſenteriam quovis anni tempore, tam hieme, vere, quam æſtate & autumno poſſe oriri, ſi modo tempeſtatis conditio ad id conſpiret, nimirum ſi ab intenſo calore ſubita mutatio in frigus fiat.

Verum enim vero, & hæc opinio haud nititur immoto fundamento, cum Dyſenteriæ longe frequentiores & univerſaliores eſſe debeant, ſi modo dictas tempeſtatum viciſſitudines pro directa ſua cauſa phyſica

agnoſcerent; ſed & e contrario vidimus hunc morbum etiam ſe manifeſtare eo tempore, quo tales aëris mutationes neque prægreſſæ fuerunt, neque adhucdum deprehendebantur.

Deficiente vero cauſa fieri nequit, ut ejus ſequatur effectus. (i)

§. XX.

---

(i) *Efficaciam qualitatum communium aëris ejuſque mutationem, corpora humana ita diſponere, ut quolibet fere anni tempore ſuſcipiendis multis malis & contagioſis morbis obnoxia fiant, ab attentis Medicis jam ſatis animadverſum eſt.*

*Interim ſimplices & nudæ aëris mutationes, etiam ſenſibiliores, ad* ſpecialiſſimum hunc morbum Dyſentericum excitandum, *haud ſufficiunt; hoc enim malum* certis tantum menſibus, *vel ut ita dicam*, temporibus dyſenteriodeis, *quaſi ſpecifice alligatum, eos menſes etiam mordicus retinet, ita ut temporis illius rationem ſpecificam magnam utique huic morbo cauſam præbere, certiſſimum videatur.*

*Qua occaſione etiam obſervatum eſt, quod,* quo maturius, *& ante tempus conſuetum, nimirum menſe Junio vel Julio jamjam ſe exſerit malum,* eo maligniorem *præ ſe ferat* in-

do-

## §. XX.

Cum porro videamus, Dyſenteriam plerumque & ordinarie *calidiſſimo æſtatis tempore*, ac ſæpiſſime etiam menſe *Junio* & *Julio* oriri, eundemque morbum eodem tempore in pluribus locis, etiam longe a ſe invicem diſſitis, ſimul ſæpe inveniri, ipſumque in regionibus calidioribus crebrius occurrere, quam in frigidioribus, prout inprimis ab illis, qui in *Indiam Orientalem* abierunt, edocemur, advenas ob calores ibidem continuos & ferventiſſimos a malo Dyſenterico facilius corripi quam inquilinos, quia peregrini ejuſmodi calori vehementiori adſueti non ſunt (*k*);

Por-

---

dolem, *ſi vero illud menſe demum Auguſto vel Septembri oritur, tunc benignius eſſe ſoleat.*

*Et ſi forte contingat, ut Dyſenteria alio etiam anni tempore compareat, tunc notabilem tamen indolis ſuæ diverſitatem exhibebit, ut a ſpecialiſſima ſpecie revera differre adpareat.*

(*k*) *Celeberr.* S. du Buiſſon *Poliater civitatis Medioburgenſis ordinarius qui nunc e vivis exceſſit, & ipſe in India Orientali*

 *fuit,*

Porro cum experiamur, ipſum hunc morbum tempore calidiore ortum, ſuccedente fri-

---

*fuit, indolemque ac methodum medendi hujus morbi experientia didicit, deſcriptionem ejus nobis offert in Diſputatione ſua Med. Inaugurali de* Dyſenteria Indica, *Lugd. Batav.* 1720. *habita. Ex quo, ut & ex aliis ſcriptoribus, ſequentes excerpſi obſervationes.*

" *Sævum hoc atque crudele Dyſenteriæ*
" *malum in* India Orientali, *& ſpeciatim*
" *apud* Javanos *eſt* Morbus Endemius; *&*
" *hic morbus vulgo adgreditur illos, qui nun-*
" *quam in his terris fuerunt.*

" *Menſe Majo utplurimum incrementum*
" *capit ſuum, & ad menſem uſque Novem-*
" *brem durat, quo tempore ibidem terrarum*
" *maximus eſt ſolis æſtus, & calor fere into-*
" *lerabilis hominibus. Aër hic æſtuans, uti*
" *& ficus Indica, a Javanis* Piſangh, *vel*
" Banamas, *dicta, inprimis vero fructus*
" *quem incolæ* Ananas *vocant, nec non potus*
" *vini aduſti, qui apud Indos* Aracq *nuncu-*
" *patur, maximam huic morbo anſam præ-*
" *bere dicitur. Adhæc accedit hominum ad*
" *Indos navigantium diætæ ſiccæ in lautio-*
" *rem ſubita mutatio.*"

*Quamquam Dyſenteria vera epidemice graſ-*

frigidiore tempeſtate vulgo ſeneſcere, inde tandem concludendum mihi videtur, *cali-*
*do*

---

*graſſans vulgo* morbus autumnalis *audit*, *ejuſque cauſa a nonnullis caloris & frigoris viciſſitudinibus adſcribitur; videmus tamen, ſi recte & accurate attendere velimus, eam ſæpius jam* mediis æſtatis diebus *calidiſſimis, & quidem menſibus Junio, Julio & Auguſto prima ſua ſemina oſtendere & ſpargere, poſtea vero menſibus autumnalibus Septembri & Octobri ad maturitatem & ἀκμὴν erumpere.*

*Deinde etiam huic malo hoc magis & certius obnoxii ſumus, quo intenſior æſtate calor regnat, cum contra humidis & frigidioribus æſtatibus minor ab illo metus ſit.*

*Hinc* morbis *potius* æſtivis *annumerari poſſe hoc malum nobis videtur.*

*Qua in ſententia nos adhuc confirmant modo allegata teſtimonia Indica, eaque firmant relationes verbales eorum, qui apud Indos verſati ſunt, nobiſque adſeverarunt, apud nos non raro æque intenſum tolerari æſtivorum dierum calorem, ac in India, ubi æſtus vehemens & nimis fervidus in primariis hujus mali cauſis numeratur.*

*Hac occaſione aliam Dyſenteriæ cruentæ ſpeciem referre libet, nimirum fluxum illum*

*do* & *ſicco aëri* inſueto diuturno, in producenda ejuſmodi morboſa corruptione in noſtris corporibus, non omnem vim negandam, ſed ipſi omnino inter cauſas externas, *inſignem effectum* tribuendum eſſe; ſiquidem hoc ipſo noſtræ graſſationis tempore calidam quidem, at non ferventiſſimam habuimus æſtatem, iisdemque menſibus, prout relationes publicæ nuntiarunt, Dyſenteria *agrum Campenſem*, *Ducatum Juliacenſem*, *Montanum*, *Poloniam*, aliasque Germaniæ regiones, plus minus adflixit.

## §. XXI.

Attamen manet adhuc *nodus inſolubilis*, quod

---

*alvi ſanguineum, Galliæ Endemium, & non niſi* Lutetiæ Pariſiorum *tragœdiam ſuam ludentem, vulgo* malum Pariſienſe: (le mal de Paris) *dictum, in quem fere omnes peregre advenientes implicari ſoleant.*

*Fluxus hic non eſt contagioſus, nec ad Dyſenteriæ veræ Epidemicæ malignitatem accedit; ſed tam ſegnis eſt, ut etiam homines hoc malo adfecti in publicum prodire, ſuaque negotia obire queant. De vera hujus mali cauſa procatarctica, cum adhuc ſub judice lis ſit, nil ultra addere lubet.*

quod non ſolum multæ fuerint æſtates, in quibus longe major, quam hoc anno, fuerit calor, nec tamen *Dyſenteria epidemica* vel *contagioſa* inde ſuborta ſit; ſed & quare Dyſenteria hic loci, & in prædictis regionibus nata ſit, & *omnes fere reliquæ* per tantum intervallum *interjacentes urbes & vici* incolumes manſerint, ut ne veſtigium ejus ibidem deprehenderetur? cum tamen aërem intermedium, inprimis in regionibus ſub uno climate ſitis, communem & vix magis ſalubrem, aut intenſius calidum fervidumve, uno quam altero loco fuiſſe, probabile videatur. Quis enim ex. gr. cogitaret, Emerici, Cliviæ, Graviæ, Tielæ, Arnhemiæ &c. calidiorem, frigidioremve exſtitiſſe aërem, quam qualem nos hic habuimus? Et tamen illæ urbes, nobis ita vicinæ, a morbo tactæ non fuerunt, dum interim nos, medii inter iſta loca, ſoli ab illa lue tentati fuimus; cujuſmodi eventus ſingulares & adeo notabiles, ſpecifici, ita crude & nude aëri ſoli, calido, ejuſque effectui ſalubri, vel inſalubri &c. ſtabili cum fundamento, vix tribui poterunt, ſed illius adhuc aliæ rationes, infra inveſtigandæ venient.

## §. XXII.

Dum vero aliquam, non vero omnem,

ca-

calido aëri hunc morbum producendi tribuimus poteſtatem, omnium minime tamen inde ſequitur, ſententiam eorum firmam ſtare, qui autumant, *aërem* ipſum tempore morbi, ſic contagioſe vel epidemice graſſantis, *venenatum*, aut venenum aliquod univerſaliter tunc per aërem diffuſum eſſe; cujus ſententiæ quidam Patroni veſpertino tempore apud nos rure redeuntes, ſibi viſi ſunt videre venenatos tales vapores & nebulas urbi noſtræ impendentes; ad quod meticuloſa imaginatio ſine dubio multum contribuerit. (*l*)

§. XXIII.

---

(*l*) *Hujusmodi abſurda ratiocinia ſemper proferuntur & audiuntur, nec a nugacibus hujus generis opinionibus liberabitur orbis, donec Medici ipſis album adjicient calculum.*

*Cujus rei notabile exemplum hunc paragraphum ruminanti mihi obtulit ipſa Gallia, in qua per aliquod temporis intervallum morbus epidemicus vehementer ſæviens, quam plurimos mortales letho dedit. Inprimis vero hoc malum urbem* Pariſios *tentavit, ejuſque & incolas & Medicos ſollicitos tenuit, dum rumor inde ad exteros ſerperet, Metropolin illam peſtilentiæ malo adfligi.*

*Hæc calamitas Pariſinos Medicos excita-* *vit,*

## §. XXIII.

Si enim, cum tam multi ac inter ſe diverſi hinc inde oriantur epidemici & conta-

---

*vit, ut in cauſam recens nati epidemici morbi inquirerent. Et quanquam nec morbi indoles, nec ejus ſymptomata vulgo exponebantur, communi tamen vulgarique præjudicio omnis culpa in aërem conjecta eſt.*

*Ex inveterata ergo hac ſententia experimenta excogitabantur, & inſtituebantur, quæ a præconcepta hypotheſi non abludebant; eaque deinde per relationes publicas, tanquam magni momenti inventum cum toto orbo communicabantur. Ex quibus experimentis tantummodo illa in medium adferam, quæ* relationes Gallicæ Colonienſes No. XLIII. hujus anni *recenſuerunt. In quibus ad d.* 21. *Maji* 1754. *hæc leguntur, e gallico ſermone in latinum verſa:*

„ *Mors ex aliquo tempore magnam in hac* „ *Metropoli ſtragem edidit. Quatuor men-* „ *ſibus ſola Parochia S. Euſtachii plura fu-* „ *nera vidit, quam illa & reliquæ Parochiæ* „ *communiter vix ſolent efferre per integrum* „ *annum.*

„ *His morbis violenter graſſantibus, &* „ *ſu-*

tagiosi morbi, *omne illud venenum* tempore grassantis cujusdam morbi, *in aëre reside-ret*,

---

„ *suspicionem præbentibus, aërem mediæ regionis forte aliquo modo infectum esse, Facultas Medica novissime hoc scopo in observatorio experimentum instituit.*

„ *Matutini temporis hora octava in summo fastigio magnificæ hujus molis, quæ supra reliqua urbis ædificia eminet, in longissima pertica suspendebatur* frustum carnis recentissimæ. *Posteaquam per horam ita suspensa fuerat, pertica demissa idem frustum carnis, ponderis sexdecim unciarum, reponebatur in mensa, circa quam sedebant plures Medici. Hi deprehendebant carnem hanc plane corruptam, colore, odore, sapore, tactuque.*

„ *Facultas intensis industriæ nervis conabitur obviam ire sequelis & periculis timendis ex revelatione tam injucunda & funesta.*

*Jam quidem animus non fert, sollicite perscrutari hoc experimentum, num videlicet debito modo & circumspectione institutum sit? Interea tamen prius indicari oportuisset, num iidem observatores ante, quam in observatorium adscenderant, facto periculo, clare & in-*

*ret*, ex hac hypotheſi porro ſequeretur, in atmoſphæra noſtra fere ſemper volitare modo

---

*indubie certi fuerint, de conditione & indole aëris in inferioribus urbis plateis & Noſodochiis publicis, ut ſcirent, utrum aër in ſuperioribus regionibus urbi impendens, ejusdem conditionis ſit, qua fuit aër in infimis ædificiorum conclavibus, in quibus incolæ & ægroti degebant? quod, ubi prius methodo rationi conveniente factum eſſet, certius res expediri & cognoſci poſſet, quantum illa experimenta cum propoſita concluſione conſentiant?*

*Dum vero hoc neglectum eſt, & cauſa morbi cum ſyſtemate Pariſino conciliari non poſſe videtur, in malam partem accipi nequibit, ſi quis quærat, quare ergo ſola urbs Pariſina, & in illa inprimis Noſodochia, & non ſimul alia loca, quorum habitatores pari aëre veſcuntur, ab ſimiliter infecto aëre & contagioſo morbo adfligantur? Imo iidem auctores hujusce inventi ſolliciti dubiique evaſuri forent, viamque ingenii ſagacitati præcluſuri, ſi conſilium expoſceretur excogitandum, quo occurreretur ejusmodi verminoſo aëri, in quo ipſi, dum experimentum inſtituebatur, præſentes aderant, ad averruncandum hujus mali progreſſum.*

*Ego*

do *venenum morbillosum*, *variolosum*, *petechizans*, *pleurizans*, *purpuratum*, *catarrhale*, *dy-*

---

*Ego ejusmodi experimenta etiamsi revera facta sunt, nondum ceu veritatem convincentem admitto, siquidem in omnibus circumstantiis dubia sunt, defectibusque laborant, ut pro solido argumento haberi nequeant, sed plurima contra disputari & objici possint.*

*Probe etiam menimi, superioribus temporibus Parisinis in more fuisse, ut in morbis epidemicis recens in Gallia ortis, similia & cum his congruentia experimenta instituerentur, eaque per relationes novellas, ut vocant, vulgarentur, & simul adfirmaretur, hujus generis frustum carnis cani objectum, bestiamque, ea devorata, exstinctam esse.*

*Mihi potius videtur, hoc malum Parisiis epidemice grassans, illius urbis Medicis minus cognitum esse, maxime, cum jam aliæ relationes Parisiis ad d.* 27. *Maji conscriptæ, commemorent, ex aliquo tempore ibidem, & quod notatu dignum, in* Xenodochiis & diversis militum cohortibus *morbum quempiam sævire, ex quo quotidie multi homines intereant.*

*Post hæc sequebatur:* „ *Nonnulli Medicorum arbitrantur, morbum hunc epide-* „ *mi-*

*dysentericum*, modo aliud; aëremque nostrum fere maximam partem debere esse venenatum & corruptum.

Ve-

---

„ *micum oriri* ex usu aquarum Sequanæ, „ *quia aquis deficientibus Sequana amnis superiore autumno vadosus fuerit, & in ripis humilioribus ubique lolium aliaque insalubria gramina prognata sint. Creduntque in istis herbis varia insecta, ut fieri solet, stabulasse. Aquas vero fluvii, cum insequente hieme augerentur, & ultra ripas exundarent, ab illis insectis infectas & insalubres effectas esse. In qua opinione quidam hoc magis confirmabantur, quoniam observatum est, illos, qui aquis ex Sequana haustis majore copia usi fuerant, vehementius cum grassante morbo conflictatos esse, atque etiam prope omnes interiisse.*

*Porro die* 31. *Maji Parisiis nuntiabatur*: „ *Morbi adhuc pergunt sævire, multosque e medio tollere. Novissime quatuor currus ægrotis onusti e* Chateletio (*carcere*) *ad Nosodochium, dictum* l'Hôtel de Dieu, „ *tendebant, e quorum statu deplorato præsagire licet, hanc ultimam miserorum istorum fore peregrinationem.*



Tan-

Verum, uti non negamus, ab aëre corrupto, & putreſcente, ubi revera talis exiſtit, multos & graves morbos oriri poſſe, tamen venenum illud contagioſum, quod variis anni tempeſtatibus, aut quod tempore morborum epidemico-contagioſorum aëri inſinuatum, & quod in eo vagari & volitare putatur, mera ſane, ut doctus quidam Medicus loquitur, videtur eſſe chimæra & feſtinata nimium conjectura illorum, qui *efficaciam qualitatum communium* aëris, ex. gr. ſimplicis caloris, ſiccitatis, humiditatis, frigoris, &c. diuturnioris aut intenſioris, extraordinarii, inſueti in noſtra cor-

---

*Tandem indicabatur :* „ *Poſt ea, quæ noviſſime ſcripſeramus, numerus ægrotantium in omnibus noſtris Noſodochiis admodum imminutus eſt. Et jam quotidie pauciores moriuntur, quam ante binas vel tres hebdomadas.*

„ *Morbus conſiſtebat in quadam* exotici ſcorbuti *ſpecie, ſeque* primum manifeſtaverat, in Xenodochio majore, *in quo Xenodochio ſolo ultra ſexcentos milites de cohorte prætoria Gallica abſtulit, & parem numerum militum prætorianorum Helvetiorum.*

corpora, & inprimis notabilem inde *humoribus noſtris inductam mutationem* & *vitioſam alterationem* non ſatis attente conſiderant, neque perpendunt, quam facile & quam vario modo, ex varia & ſimplici aëris illa qualitate, humores noſtri blandi alterari & in putredinem converti poſſint.

## §. XXIV.

Itaque hoc *noſtræ Epidemiæ* tempore *venenum dyſentericum non poterat hærere* aut *divagari* in *aëre*, conſiderato, non tantummodo urbem noſtram ſolam laboraſſe, vicinas autem urbes longe lateque circum nos ſanas permanſiſſe, ſed & ne quidem ab initio morbi civitas omnibus in partibus ſimul infecta fuit, ſed malum quaſi per gradus certas ſolummodo plateas occupavit, donec ſenſim per infectionem immediatam in cæteras plateas, ac tandem etiam in vicos agrumque proximum translatum fuerit, veluti ſupra in hiſtoria morbi indicatum eſt.

Cum vero nec in noſtra urbe, multo minus in uno urbis angulo vel platea diverſum aërem habeamus, quam in alio, exinde manifeſto adparet, aërem, qui univerſalis eſt, & quo nemo viventium carere poteſt, non potuiſſe eſſe venenatum; alioqui, ſi contagium dyſentericum ejuſque ſemina in aëre

quærenda forent, tunc & omnes vel saltem plurimi hominum, qui ex illo, hac labe putatitie infecto aëre, spiritum ducunt, adfici deberent, id quod experientiæ omnino repugnat.

§. XXV.

Neque etiam *phases Lunæ* aliquem in morbum influxum habuisse, ut quidam venditabant, certa observatione & experientia colligere potuimus; neque credibile est, illas phases ad producendos vel augendos morbos epidemico-contagiosos aptas esse, ob rationes contra aëris efficaciam communem & venenositatem modo allatas, ac certo respectu huc quoque adplicandas, ut & ob eas, quas infra tanquam magis proximas, allegabimus.

§. XXVI.

Quod opinionem illorum spectat, qui statuunt, venenum dysentericum ex *vaporibus venenatis terrenis*, ex terræ antris sublimatis, vel *e rerum externarum putredine* & fœditissimis *colluvionum putridarum exhalationibus* posse generari, inprimis vero illud apud nos e corruptis vaporibus aquæ pluvialis, quæ in *tribus lacunis* in urbe nostra

ſtra collecta adſervatur, in repentinos uſus incendiorum oborientium, &c. ortum traxiſſe, illi adhuc minus veram mali originem ejuſque naturam tetigiſſe videntur, ſi non ſolum generatim obſervamus, hanc luem non ſolummodo hic, ſed etiam alibi locorum ſe manifeſtaſſe, ubi tales lacunæ non habentur, aut ubi tales exhalationes externæ putridæ, vel alii vapores, venenati habiti, non reperiuntur.

Cum contra his in terris ſint urbes, in quibus multæ ſint aquæ & foſſæ ſtagnantes, & interdum maxime fœtentes, & tamen inde nulla Dyſenteria oritur, quæ ex horum ſententia longe frequentior eſſe deberet, ſi illæ aquæ morbi cauſam procatarcticam conſtituerent. Ut taceam, quod noſtræ lacunæ forte per longum annorum ſpatium in urbe hac exſtiterunt, & tamen per longum tempus nulla Dyſenteria contagioſa hic ſæviit, præter eam, quæ anno 1702. e caſtris, in agro Clivenſi hærentibus, per milites huc propagata eſt, quæque alii & peregrinæ ſeu exteræ cauſæ ortum ſuum debet, minime vero hic loci nata erat.

Proinde ſi hæ lacunæ hujus mali fontes veri eſſent, Dyſenteria certe admodum ſæpe hic graſſari, & ortum ſuum diſtinctius manifeſtare deberet, quam hucuſque con-

tigit. Cum hoc jam non liqueat, iſtis lacunis tanti mali cauſam veram tribuere nequimus. (*m*)

§. XXVII.

---

(*m*) *Sunt, qui totam* Pathologiam *volunt eſſe* animatam, verminoſam, *omnesque morbos tam univerſales, quam peculiares, a ſui generis vermibus derivare contendunt, & inprimis* aquas paludoſas, putridas, corruptas, *pro ſeminario univerſali iſtorum vermium habent. Cui ſententiæ tamen calculum adjicere meum non poſſum, dum nobis nulla adhuc ratio phyſica dari poteſt, quænam ſpecifica ſint illorum inſectorum genera vel ſpecies, quæ ad hunc vel illum morbum, ſpecificæ omnino naturæ & indolis, producendum, ſpecifice quaſi apta ſint.*

*In memoriam tamen mihi redit memorabile exemplum, quod mihi olim oblatum eſt. Namque ancilla quædam ruſtica Elberfeldiæ, in ducatu Montano, tempore æſtivo ex ejusmodi lacuna aquam hauriens ſitim ſedaverat, indeque morbum contraxerat, quem vulgus pro incantatione habuerat, quia continuis cum doloribus & crebris vomitibus in diarrhoeideum fluxum incidit, & per longum tempus, ſex videlicet vel ſeptem annorum, varia inſecta aquatica diverſarum ſpecierum, incre-*

*di-*

## §. XXVII.

Et quod ſpeciatim ad illam rationem attinet, dum nonnulli *iisdem lacunis* cauſam mali ideo adſignaſſe videntur, quod una harum lacunarum adjacet plateæ dictæ *de Siekenſtraet*, in qua morbus admodum ſævìit; tamen ſciendum eſt, morbum hunc non ſumſiſſe initium in hac ipſa platea, vel altera huic lacunæ proxima, *de Koningſtraet* dicta, quod tamen oportuiſſet evenire, ſi malum ex lacunæ vicinia ortum traxiſſet; verum in alia platea longius verſus Septentrionem ſita, quæ vocatur *de Paulſtraet*, morbi prima ſemina detecta ſunt, & hanc plateam integra ſeries ædificiorum ab illa lacuna ſeparat. Poſtquam vero malum, in platea Paulina ortum, dextrorſum, ſiniſtrorſumque ſe diffuderat, ac inprimis in auſtrinas partes, ubi lacuna jacebat, vehemen-

---

*dibili multitudine, per omnem hujus decurſum ejecit. Tandem vero per amara & emetica liberata & reſtituta eſt. Cujus caſus hiſtoriam in* Annalibus Phyſico-Medicis Vratislavienſibus *Anni* 1723. *pag* 558. *pluribus expoſui, illucque B. L. brevitatis cauſa ablego.*

mentius graſſabatur; præterea cum illa platea, *de Siekenſtraet*, plena ſit hominum plerumque inopum, quibus vitæ auxilia & commoditates deerant, aliter fieri non potuit, quin ibidem & complures ægrotarent, & morbo conſumerentur; *nullo* autem *jure huic lacunæ cauſam mali imputari* poſſe cenſeo, inprimis etiam, cum *apud reliquas duas lacunas*, & ſpeciatim apud eam, quæ ad orientale urbis latus vergit, tantus ægrotorum numerus non fuerit, nec certe major, quam in aliis urbis locis.

## §. XXVIII.

Interea non negem, *has lacunas per indirectum multum facere* poſſe ad *propagandum malum*, quamquam directe & proprie morbi cauſa continens non exſiſtant, quoniam ejusmodi lacunæ ad varias impuritates occaſiones præbent, dum accolæ multiplices ſordes in easdem conferunt, unde non tantummodo ſpectatu injucundæ fiunt, ſed etiam revera putreſcentem fœtorem tempeſtate æſtiva emittunt. Inſigniter vero contagium tempore talis morbi per illas lacunas diſſeminari poſſet, ſi *excrementa ægrotorum* illuc (aut etiam in plateas) projiciantur; nam *in his maxime reſident exhalationes exitioſæ*, quæ proxime accedentes

ad-

adflant, & in morbum præcipitant; ut hinc iſtæ lacunæ proprie urbi non ſint nocivæ, ſed ſordes, tempore morbi graſſantis in eas conjectæ.

§. XXIX.

Inter cauſas morbi ſupra §. XII. No. III. una a *mala victus ratione* deducitur, quia hic morbus ordinarie initium ſuum capit inter *plebem* & *pauperes*, magisque ſemper inter illos, quam inter divites, viget.

Plebs hinc hic loci admodum irritabatur, cum audiret, malum ab initio ſolummodo per contemtum *pro morbo infimæ hominum feci proprio* haberi; cum vero mox etiam potentiores ac divites ab eo invaderentur, iique æque ac viliores morte abriperentur, plebeji homines vindictæ fruitione ſeſe conſolabantur, & hoc ipſo cauſa etiam illa evanuit.

Interim ratione non caret, homines promiſcuo, viliore ac ſordidiore victu utentes, & aliis ſanitatis conſervandæ commodis deſtitutos, citius & facilius ejusmodi morbo eſſe obnoxios, quam alios, qui ſalubribus ſolummodo eduliis fruuntur, neque aëris injuriis adeo ſunt expoſiti, quandoquidem & apud nos plures pauperiores in morbum incidebant ac moriebantur, quam alii opulentiores, qui remedia præ-

servativa & juvantia necessaria mature adhibere poterant; hi enim principiis obstant, illi contra plerumque se negligunt, vel perversis & contrariis remediis malum augent; Et hæc circumstantia sola mihi videtur sufficiens ratio esse, quare vulgus plerumque in ejusmodi morbis plurimum patiatur. (*n*)

§. XXX.

Quod ad *fructus horæos* speciatim attinet, hi non adeo possunt accusari, quandoquidem primo non solum singulis annis Dysenteriæ non grassantur, etiamsi fructus horæi & olera abundanter provenerint; verum perspicue observatur, & apud nos etiam sæpenumero compertum est, homines iis fructibus omnino non utentes, imo & infantes lactentes ab hoc morbo corripi,

---

(*n*) *Dysenterias epidemicas in principio fere semper suam originem ex plebe sumsisse, maximamque tyrannidem in* pauperes *exercuisse, postmodum vero & divitum fores pulsare cœpisse, plures testantur historiæ medicæ; hinc* sordidæ horum hominum vivendi *rationi ad* contagii productionem *aliquid tribuendum videtur.*

pi, quamvis matres ab iis fructibus plane abſtinuerint.

Præterea malum dyſentericum *apud nos jam viguit, antequam fructus comedi poterant.*

Comeſtio quidem eorum tunc temporis moderata eſſe debet, nam fructuum abuſus apud eos, qui ad morbum jam diſpoſiti ſunt, utique malum promovere, eique ſtimulum addere poteſt; interea verum eſſe nequit, hos fructus morbi contagioſe graſſantis *cauſam continentem* aut *veram procatarcticam* exſiſtere, aut in iis latere poſſe, quotidiana refragante experientia; ſed ſolummodo, ſi quis fructus comederit, & Dyſenteria dein laborare cœperit, pro nuda *cauſa occaſionali* per individua haberi poteſt, idque eo magis, cum complures apud nos noverim, qui illos fructus, inprimis vero uvas, ſine ullo ſanitatis diſpendio quotidie & copioſe ederunt.

Promiſcue enim homines, ſive fructus horæos comederint, ſive ab iis ſibi temperaverint, contagium apud nos invaſit; nec ulla in his diſtinctio notanda fuit. (*o*)

§. XXXI.

---

(*o*) *Qui* fructus horæos *ut & olera, braſſicam, lactucas, fabas, piſa aut ejuſmodi culi-*

## §. XXXI.

Quod dixi de fructibus, idem etiam obtinere puto in *carne ſuilla*, aliaque re ingeſta, quibus quidam originem mali dyſenterici perperam tribuere volunt. Nam quamquam comeſta caro ſuilla per indiuidua & certis circumſtantiis aliquam *Dyſenteriæ ſporadicæ*, *ſolitariæ*, ſpeciem excitare poteſt, illa tamen non extemplo eſt *morbus epidemico-*

---

*linarum copias, rubigine aut malo rore infecta, tanquam cauſam continentem, materialem, hujus mali accuſant, hos hoc magis errare conſtat, quo certius ex quam plurimis obſervationibus patet, in multis Dyſenteriis epidemicis effectum prius fuiſſe quam cauſam, hoc eſt, morbum exortum fuiſſe, non ſolum eo tempore, quo fructus horæi adhuc in flore conſtituti erant, nec uſui apta proſtabant, dum ad maturitatem nondum pervenerant, imo in locis, qui talibus fructibus plane deſtituti erant; cum ex contraria parte ſæpenumero ingentem fructuum horæorum copiam adfuiſſe, & plebem puerosque ingenio indulgentes eos magna copia ediſſe, nec tamen ullam inde Dyſenteriam ortam aut obſervatam fuiſſe, quam plurimi teſtentur Medici.*

*mico-contagiosus, malignus*, qui integram urbem vel regionem malo inficiat, benigna potius & parum metuenda est talis Dysenteria, proinde nec in veris nostræ luis caussis reponi potest. (*p*)

§. XXXII.

---

(*p*) *Quia in* porcis *grandines gignuntur & vitiligines, quem adfectum* Tacitus scabiem *nuncupat, hinc* carnis suillæ usum *Judæis a Moise interdictum fuisse, memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium, ne ex ejus esu lepræ aut vitiliginis contagio porro coinquinentur. Vid. Corn.* Tacit. *Histor. libr. V.*

*Sunt, qui Dysenteriæ malignæ originem ad frequentes* agrorum inundationes *referunt.*

*Ita pro causa Dysenteriæ, quæ anno hujus seculi secundo* Campis, *& in circumjacente agro, grassabatur, citatur inundatio illarum terrarum. Similiter Celeberr.* Furstenavius *opinatus est, causam Dysenteriæ, anno* 1741. *urbem Rinteliam agrumque adfligentis, exstitisse frequentes inundationes.*

*At posterioribus temporibus sæpius circa urbem Campensem, aggeribus ruptis, inundationes factæ, sed nullæ Dysenteriæ illas insecutæ sunt. Et si inundationes hunc morbum*

## §. XXXII.

Hic silentio prætereundum non est, etiam *metum* & *terrorem* causis Dysenteriæ annumeratum fuisse.

Et

---

*bum excitarent, nostræ regiones, inundationibus frequentissimis expositæ, certe sæpissime Dysenteriis deberent esse obnoxiæ, & quidem præ aliis terris. At hic nihil de frequentiore hujus mali accessione observatur, morbo hoc æque frequenter dominante in locis, ubi nullæ aut raræ occurrunt fluminum exundationes.*

*Interim tamen verum manet, terrarum inundationes alios mali moris morbos epidemios, eosque acutos, sæpius excitare.*

*Nec sententiæ illorum accedere possumus, qui* aquas, per canales plumbeos defluentes, *pro causa nostri mali accusarunt; quamvis Dysenteriam inde pati, qui similes aquas bibunt, jam olim* Galenus, *aliique post hunc docuerint.*

*Plumbum quidem sua natura venenum est, corpori humano maxime nocivum, & ex continuo, per fistulas plumbeas transfluentium aquarum madore, limus plumbi vel cerussa abraditur, quibus aquæ istæ vitiantur, ac*

*vi-*

Et revera non raro videmus, per ſolos animi motus omnes effectus morboſos in corpore humano oriri poſſe, quos Medici aliis quoque cauſis phyſicis adſcribere ſolent. Si enim ex. gr. homo ſanus ſubito terrore percellatur, maxima ſtatim oritur mutatio in ejus ſtatu naturali, omnia præter modum perturbantur, confunduntur, & ſtatus plane præternaturalis exoritur. Jam ſi forte intus aliquod malum vel venenum morboſum latuit, hoc ſimul ſtatim in actum promovetur, adaugetur, & illum excitat morbum, ad quem homo jam prædiſpoſitus erat.

Li-

---

*virulentiam aliquam accipiunt. Sic aqua, quæ in vaſe plumbeo diu adſervatur, ſenſim dulceſcit & inſalubris inde fit.*

*Hoc quamvis negandum non ſit, univerſalis tamen & quotidianus earum uſus in illis locis, ubi incolarum plurima pars ob fontium penuriam aqua pluviali, per canales plumbeos in ciſternas collecta utuntur, illorum ſententiæ refragatur, nec Dyſenteria in illis locis frequentior eſt.*

*Ad hypercatarſin potius, quam ad Dyſenteriam veram excitandam, apta videtur hæc aqua.*

Licet itaque imaginatio, terror, metus, aliaque animi pathemata, talem effectum edere queant, qualem in morbo videmus, proprie tamen, mea sententia, nunquam per se & ita simpliciter morbum *contagiosum* producere possunt. Sed si ille occasione terroris, metus &c. oritur, semper licet suspicari, ante aut post terrorem contagii commercium præcessisse, & corpore jam ad statum illum morbosum disposito, materiam peccantem per terrorem in actum deductam fuisse.

Sic *complures homines apud nos* putabant, se *metu correptos fuisse Dysenteria:* illi vero omnes, quos vidi, non vacabant suspicione, ad ipsos simul penetrasse halitus quosdam contagiosos, ut hinc, sine omni contactu externo ipsos istum morbum contraxisse, non credibile videatur; nam tempore grassantis luis vix omne commercium inter sanos & infectos evitari potest, quo fit, ut facile contagium etiam per eos, qui sani adparebant, ad propius accedentes transire possit.

Interea a leviori infectione natura facilius ad sanitatem redire valeret, si modo aliquis nimis meticulosus non sit, sed si terror & metus accedat, *ex minimo fit maximum malum*, cui Medicus sæpe minus mederi potest, quam ipsi simplici malo; siquidem timi-

midis & meticulosis citius fatale quid accedit, quam imperterritis, & *trepidi* etiam minus *valent ad superandum malum*, quam intrepidi.

Sic novimus homines, rure in urbem venientes, qui audientes Dysenteriam hic grassari, tanto metu correpti sunt, ut confestim hinc aufugerent, & eodem malo adflati brevi post exstinguerentur. (*q*)

§. XXXIII.

---

(*q*) *Manifectum est*, timorem *& ingentem* mortis formidinem, *præ cæteris corpora, ad morborum contagium eo citius recipiendum, non solum disponere, sed & ægros facilius letho dare.*

Meticulosi speciatim jam pridem cacatores audiunt.

*Et quam graves & sæpius lethales morbos sola excitare soleat* ira, *omnes novimus.*

*Et revera inter res nocentissimas; & quæ celerrime morbos & mortem inferre possunt*, gravia animi pathemata *vehementissima etiam malignitate superant venena; hæc enim mortem tam cito non inferunt, quam subiti & vehementes animi adfectus, quales sunt terror, metus, ira, imaginatio, tristitia, gaudium.*

*Si jam hæc animi pathemata, per se jam no-*

## §. XXXIII.

Et licet alii *alias* adhuc morbi noſtri *cauſas ſingulares* allegent, quarum ſupra mentio

---

*nocentiſſima, veniant in miaſmatis & morbi contagioſi ſocietatem, facile tunc eſt judicare, ſummum minari periculum.*

*In* Peſte *Obſervatores annotarunt, illam plerumque fuiſſe lethalem, ſi qua adgrediebatur homines animi timidioris & deſperabundi; in aliis vero, quibus firmior conſtabat mens, mitius & citra periculum decurriſſe.*

*Imo, quod magis eſt, iidem ſcriptores uno ore confirmant, ſola contagii, licet procul abfuerit, imaginatione & metu inde orto, multos iiſdem, quæ ſunt Peſti familiaria, ſymptomatibus correptos, imo etiam e vita ſublatos fuiſſe.*

*Et quod ex ſola & ſimplici imaginatione vel adſpectu objecti alicujus nauſeabundi, vel narratione tantum hiſtoriæ nauſeabundæ vomitus & alvi fluxus excitari poſſit, jam diu notum eſt.*

*Hujus rei memini exemplum quod mihi de ſe ipſo retulit præfectus quidam militum; ipſum nempe averſiſſimum eſſe ab omni medicamentorum genere, nominatim ab omnibus pur-*

tio facta est, tamen illæ nobis adhuc magis a veritate remotæ videntur.

Nam

---

*purgantibus & vomitum cientibus, adeo quidem, ut, si sibi vomitum excitare, aut alvum movere velit, aliquid fœdi & naturæ suæ vehementer contrarii menti imaginando sistat; quo facto pro lubitu vomere aut alvum purgare possit, nec necesse habeat, ad pharmacopolas confugere.*

*Ipse ego inde a teneris adeo abhorrui a quibusdam rebus, quæ per se nec fœdæ adspectu nec horridæ sunt visu, ut, ubi oculis meis se offerunt, aut de iis sermo saltem incidit, statim sentiam conatum vomendi, imo vomitum ipsum. Et licet mihi ipsi vim faciam ad reprimendam hanc imaginationis impressionem, eamque aliquo modo moderari didicerim, illam tamen nondum adeo potui superare, quin adhucdum eadem me nonnunquam incesset.*

*Aliam, sed ridiculam depravatæ imaginationis historiam nobis offert* J. D. Muller *in Dissert Inaug.* de morbo motuum habituali ex imaginatione, *Halæ* 1732. *habita; cujus rei enarrationem, a Celeberr.* J. Junckero *auctori communicatam, rari casus gratia, brevibus hic excerpere, non injucundum putavi; nimirum:*

 „*Vir-*

Nam uti modo diximus, proprie quæſtio hic non eſt, quid Dyſenteriam in genere ex-

---

„ *Virgo ruſtica laborioſa, annum jam æ-*
„ *tatis ſuæ quadrageſimum ſextum agens....*
„ *anno ætatis ſuæ viceſimo primo dolore qua-*
„ *ſi arthritico manuum corripitur.... Hos*
„ *dolores tandem excepit ſpecies quædam ru-*
„ *ctuum, qui pectus valide conſtringendo tali*
„ *impetu explodebantur, ut extra domum*
„ *audiri potuerint, & horrendo ſpectaculo*
„ *omni fere minuto decies imo pluries eru-*
„ *perint.....*
„ *Aſt, quod notatu dignum eſt, non omni*
„ *tempore illi obſervabantur, ſed certis tan-*
„ *tum circumſtantiis ſeſe exſeruere: videli-*
„ *cet ægra ſub initium diris ejusmodi moti-*
„ *bus tum corripiebatur, cum* cibos *quales-*
„ *cunque adſpiceret. Atque in hoc motuum*
„ *exacerbatorum gradu malum per quatuor-*
„ *decim hebdomadas ita ſubſiſtebat, ut ægra*
„ *inter duos, & quod excedit, menſes, (in-*
„ *credibile fere dictu) nil ciborum adſumere*
„ *potuerit......*
„ *Et, licet poſt uſum variorum medica-*
„ *mentorum malum adeo ſublatum eſſet, ut*
„ *edere cibum naturalem absque ructibus*
„ *poſſet, idem tamen motuum exacerbatorum*
„ *ſche-*

excitare possit? sed quid *contagiose grassantem Dysenteriam* inferre queat? hinc illas mis-

---

„ *schema, mutatis tantum quibusdam circumstantiis, brevi recrudescebat.*

„ *Quam primum enim* verba institutionis „ Sacræ Cœnæ *audiebat, mox iisdem atro-* „ *cissimis motibus corripiebatur.*

„ *Imo in eas tandem devenit circumstan-* „ *tias, ut cum* templum *frequentare vellet,* „ *& hoc vix e longinquo videret, horrendi* „ *statim ructus eam ita adficerent, ut si ab* „ *iis libera esse desideraret, domum reverte-* „ *re debuerit. Effectum inde est, ut per* „ *quadriennium non nisi ter vel quater ædes* „ *sacras intrare potuerit.*

„ *Ast neque in his circumstantiis malum* „ *subsistebat, sed etiam domi miseram hanc* „ *ægram persequebatur. Quotiescunque enim* „ *lectura* librum *quendam sumeret, toties* „ *ructuum scena de novo agebatur, & proji-* „ *cere eundem cogebat. . . . .*

„ *Qua in re notatu dignum est, quod a* „ *quibuscunque fere medicamentis primo qui-* „ *dem allevationem quandam mali senserit,* „ *deinde vero continuato Medicinæ usu re-* „ *currentis mali atrociam, & sub novo quo-* „ *dam schemate, experta fuerit.*

 Ca-

missas facientes, propius nos ad scopum nostrum convertimus.

## §. XXXIV.

*Propior* itaque *causa* nobis quærenda erit, ex

---

„ *Cæteroquin satis sana vivit, in hunc* „ *usque diem, menses sunt ordinati, animus* „ *tranquillus, pius, omnisque melancholiæ* „ *expers, & non habet, de quo conquerere-* „ *tur, nisi de continuo quodam in dextro hy-* „ *pochondrio dolore sub quacunque inspira-* „ *tione sentiendo.*

„ *A ructibus etiam per aliquot jam annos* „ *tam diu libera, donec* verba institutionis „ S. Cœnæ *aut ipsa recitet, aut ab aliis re-* „ *citare audiat, tunc vero insigni vehemen-* „ *tia recurrunt.....*

„ *Medicus, qui hæc perscripsit, præterito* „ *anno in consilium vocatus jussit, ut* verba „ institutionis *se præsente recitaret, quo fa-* „ *cto statim ructus horrendo sonitu excutie-* „ *bantur, & recitationem interpolabant.* „ *Mitigatis paulisper ructibus continuare* „ *quidem* institutionis verba *intendebat,* „ *mox autem iisdem diris motibus intertur-* „ *babatur.*"

ex qua *origo mali contagioso-dysenterici* derivanda sit; ea vero non extra nos, sed *in nobis ipsis* invenietur.

Non inepte, etiam physico sensu, cum Propheta *Osea* cap. III. enunciare possumus: *Malum tuum*, homo, *intus* & *in Te* seu *a Te* est.

Sane non ab externa sublunarium putredine aliaque re extra nos, sed *in nobis* & ab *interna humorum nostrorum putrescentia* nascitur morbus. Effectus vero atmosphæræ in nostra corpora tantummodo est occasionalis, quatenus nimirum unum aut alterum subjectum ad hunc morbum specifice dispositum est; tunc aër ex. gr. *simplici suo ardore vel siccitate diuturna* humores nostros ita singulariter ac præternaturaliter alterat & mutat, ut naturaliter blandi nunc abeant in corruptionem acrem, putredinosam, ac veram inde venenosam qualitatem induant, corpusque ad summum dissolutionis periculum disponant, ut brevi tempore omnis motus vitalis destruatur.

## §. XXXV.

Hæc humorum nostrorum ad dissolutionem putredinosam facta actualis mutatio a Medicis *malignitas*, ut & *miasma*, *fermentum* &c. *contagiosum*, adpellatur, quod adeo

ſpecificum eſt, ut non tantummodo certum genus morbi pro indole & proprietate talium corruptorum humorum producere poſſit, ſed etiam maximum illius malum poſt ea in hoc conſiſtit, ut *ſemel natum* dein *potentiam conſequatur ſeſe diffundendi*, ac per contactum aliis ſeſe communicandi.

## §. XXXVI.

Hæc vero morboſa materia, & *inquilina acrimonia*, quæ in ſuo principio in homine generatur & naſcitur, & quæ dein ex uno corpore morboſo emiſſa, alii corpori ſano ſimilem mutationem morboſam inducere poteſt, primo quidem, ut Cl. *Diemerbroekius* optime loquitur, *morbi ſoboles* dici poteſt, poſtea vero omnis mali in reliquis fit *præcipua cauſa*, *vera nimirum*, *continens*, *phyſica*, *materialis*, *immediata*; ſoboles, dicit, morbi fuit, quia non exſiſtit, niſi poſt morbum prius inductum.

Nam qui primus morbo contagioſo, ex. gr. variolis, petechiis, Dyſenteria &c. corripitur, morbum per contagium non contraxit, ſed poſt ſemel natum & excitatum morbum, *contagium* demum exortum eſt. (*r*)

§. XXXVII.

---

(*r*) *Omnia venena, ex vegetabilium vel mi-*

## §. XXXVII.

Deinde *morbus contagiosus semel ortus non ultra ex aëre pendet*, sed ipsa morbi origo,

---

*mineralium regno petita, & extrinsecus vel intrinsecus animantium corporibus adplicata, alios contagio non contaminant.*

*Sed alius plane sunt naturæ & indolis venena, quæ in animalibus ipsis nascuntur. Hæc non solum veri veneni naturam exacte æmulantur, sed & alia corpora vicina & disposita contagio adficiunt, similemque tunc mali epidemici speciem in illis producunt.*

*Iterum hæc animantium venena contagioso-epidemica in genere semel nata, adeo sunt peculiaria & istis animantibus, in quibus genita sunt, adeo propria, ut tantum ea, quæ ejusdem sunt speciei, violentissime invadant, aliis vero animalibus diversæ speciei nihil omnino noceant.*

*Sic miasma pestilentiale, quod corpora humana inficit, cætera animantia non offendit. Contagium, quod boum gregem summa violentia adoritur, equis & aliis bestiis innocuum est, & contra; adeo ut ne quidem canes, vulpes, aves, de talibus animantibus, recens mortuis, vorantes inde inficiantur.*

go, fomes & contagium, intra corpus humanum natum, nunc ſufficit, ad eum tam late ſpargendum; *aër* tunc *eſt* tantummodo *vehiculum*, contagium illud ſpecificum deferens, uti hoc plerumque in aliis morbis contagioſis etiam obſervari poteſt.

Morbi enim contagioſi ſemel nati dein quovis anni tempore graſſari pergunt, nec neceſſe eſt, ut eadem aëris conditio, qua ortum eſt malum, ſemper maneat immutabi-

---

*Et utrum tempore graſſantis alicujus morbi inter armenta & pecora, non idem ſæpe evenerit in hominibus, & forſan etiamnum eveniat, quum carnes infectorum pecorum comeſæ fuerint, aut comedantur, non auſim negare; notum quippe eſt, non ſolum ignorantia, verum etiam malitia, egeſtate, avaritia & aviditate lucri non raro ægrotantia pecora eſſe mactata, eorumque carnes (forſitan etiam morbo exſtinctorum) ſale conditæ, fumo induratæ, comeſtas & venditas eſſe. Interea tamen, ſpeciatim in hac per tot annos graſſante pecorum peſte, nullibi locorum, quantum novi, accidit, ut homines ex eſu & uſu talium morticinarum carnium aliquo morbo adficerentur.*

bilis, ſed morbus vim ſuam exercet, licet alia inſurgat cœli conſtitutio.

## §. XXXVIII.

Inficiandum tamen non eſt, *aërem* ad *majorem contagioſi morbi progreſſum*, vel etiam ad *diminutionem* ejus, in tantum ſymbolum conferre poſſe, quantum ejus mutationes ſucceſſu temporis corporibus noſtris magis vel minus noxiæ manent.

Sicuti enim atmoſphæræ conditio ſemper eadem manens, in qua malum initio ortum eſt, ejus majorem progreſſum facile fovere, imo augere poteſt; ita e contrario alia & contraria interveniens aëris conſtitutio multum facere poteſt ad mali contagioſi faciliorem exſtirpationem. Sic ex. gr. calor intenſus, diuturnus, ad putrefactionem humorum noſtrorum indies plus contribuit, eamque promovet; e contrario frigus putrefactioni non ſolummodo potenter reſiſtit, ſed & ejusdem progreſſum maxime ſiſtit. Frigus enim humores coagulat, ut effluvia noxia minus evagari poſſint; præterea regnante frigore converſatio inter homines non adeo frequens eſt, quam calidiore tempeſtate, adeoque contagium eo celerius ſiſti poteſt.

Quo

Quo enim illud contagium magis vitatur, eo pauciores inde corripiuntur.

## §. XXXIX.

Hoc autem loco notandum eſt, *contagium* iſtud *Dyſentericum non ſemper* ac *plane cedere* adpropinquanti hiemi & frigori, quæ illud reprimere videntur; verum ejus ſemina & ſpicula morboſa aliquando ſatis diu alicui inhærere, atque adeo latere poſſunt, donec poſtea accedente occaſionali quodam ſtimulo erumpant; ut merito de opinione eorum dubitare liceat, qui, ubi per *aliquot annos continuos* viderunt Dyſenteriam alicubi locorum graſſatam eſſe, exiſtimant, *cauſam* continuatæ luis hanc adeſſe: quod nimirum annorum per eam ſeriem conſtitutio eidem morbo epidemice producendo nimium faveat, dum frigus intemperantius aër calidior repente excipiat, uti Cel. *Sydenham* opinatur.

Sed ego potius in hanc ſententiam abirem, cauſam hujus phænomeni in hoc poſitam eſſe, quod miasma contagioſum nondum in omnibus ſubjectis plane ſublatum aut exſtinctum ſit; hinc dato tempore ſe iterum explicat; cujus rei exempla in aliis contagiis compluria in promtu adſunt. In hac me ſententia plenius corfirmat illa condi-

ditio mali, quod illi ipſi, qui priorem fovent opinionem, una ſe obſervaſſe fatentur, malo ſenſim ſeneſcente, ſub poſtremis annis non amplius tot homines corripi, nec tam graviter tamque periculoſe laborare, quam in ipſo contagii ortu, quia nimirum hoc paulatim decrevit, tandemque finem attigit.

## §. XL.

Hac ratione non ſolum omnis *contagii* origo & progreſſus in genere, ſed etiam *morbi noſtri dyſenterici ætiologia hiſtorica* intellectu facilis videtur.

Apud nos rem ita experti ſumus, nec dubito, in aliis quoque morbis contagioſis idem diſci poſſe, dummodo ſatis operæ velimus impendere, ad eos debita cum induſtria explorandos, in quo tamen ab ipſis Medicis non raro negligentia peccatur, ut non ſatis ad rem attendentes illico omnem culpam in cauſas alienas transferant.

## §. XLI.

Jam vero mihi quis objiceret, dicens, ſi non tam aër, quam quidem contagium cauſa princeps fuerit, ob quam hic morbus apud nos tam vehementer ſævierit, qui igitur fiat, ut homines, qui *per complures annos*

*nos* continuos *decubuerant*, nec ullam confuetudinem cum infectis hominibus habebant, tamen hic morbus invaſerit? quod proinde non aliunde, quam ab aëris communis mala diſpoſitione proficiſci queat? Sed & hoc argumentum ſibi contradicit; nam quia per adeo longum tempus in apertum aërem non prodiere, is certe in eorum corpora vim ſuam haud ita facile exſerere potuit.

Et quod nullo cum homine verſati fuerint, a quo contagium contrahere potuerint, ejus rei contrarium adparet, quandoquidem vel ipſe eorum *Medicus*, qui ægros infectos tractavit, ſimul ipſos inviſat, ut ſic ab eo ægri valetudinarii ac debiles contagium vel hoc facilius excipere potuerint, quo minus eorum corpora veneno reſiſtere valuerunt.

## §. XLII.

Communicatio enim contagii non ſolum fit immediate, & per contactum corporis morboſi vel excrementorum, ſed etiam mediate per *veſtes* illius ſemen transmittitur;

Si modo *comparationem hujus morbi cum aliis morbis contagioſis*, ex. gr. Peſte, Variolis &c. inſtituas, luce meridiana clarius cognoſces, has non ſolo contactu propagari, ſed etiam mali effluvia ſingulatim ab altero

ad

ad alterum in veſtibus *circumferri* & transportari; nec ipſum ideo eum, qui veſtes geſtat, ſemper infici.

Præterea, quorum in ædibus apud nos *infecti* erant, ii *ſtatum ſuum* ut plurimum *celabant*, quantum fieri poterat, nec niſi lectis adfixi a commercio cum aliis abſtinebant, ut nemo ſcire poſſet, num in ſano loco eſſet nec ne? hinc alius morbum facile excipere poterat ab eo, in quem nulla ſuſpicio cadebat.

*Medicis* porro *domatim ægros inviſentibus* infectæ domus frequentandæ erant, *ipſique ſæpius magis vel minus* cum ipſo malo graſſante conflictaverant;

Et hac via vel adfectus, vel ipſe ſanus, ad alios contagium quaſi per traducem propagavit.

## §. XLIII.

Et ſi exempla hunc in finem de eo, quomodo nimirum morbus apud nos per contagium ex uno adfecto in alium tranſierit, alleganda eſſent, facile plura citari poſſent. Sed ejusmodi ſpecialia vix tantum utilitatis, quantum laboris adferunt, quare illis ſuperſedebimus; Rem enim ipſam per ſe ex hiſtoria morbi facili conjectura adſequi & colligere licet, *ut ab uno ægroto integra civitas imo regio poſſit infici.*

§. XLIV.

## §. XLIV.

Cum vero contagio, non autem aëris dispositione hunc morbum maximam partem disseminatum ac propagatum fuisse diximus, jam quæstio est, unde *primus apud nos* contagium nactus fuerit? an nostra in urbe natum sit malum ab homine, qui nullum commercium habuit cum infecto? an vero peregrinus ex infecto loco veniens illud contagium ad nos attulerit? quum primam aliquam originem ut habeat, necesse sit, antequam sese porro propagare possit: id quod dictu erit difficillimum, nec facile fieri potest, ut id extra omnem dubitationem determinemus.

## §. XLV.

Relatum quidem mihi est, *adolescentem* quendam die 10. *Julii Amstelodamo* huc delatum esse ægrotum.

Is cum e navi de Vahali domum deportandus esset, propter alvi continuum profluvium in domum, in *platea majore* jacentem, ad eam exonerandam illatus est.

Post paucos autem dies duo in eadem domo homines, pater nempe familias & ancilla, qui eidem latrinæ insedissent, similiter diarrhœa correpti sunt.

Ipse

Ipſe vero juvenis in platea, *de Bruur-ſtraet*, eodem morbo die 19. ejusdem Menſis obiit.

Ex hoc aliquo modo veroſimile adparet, ac ſi iſte æger malum Amſtelodamo huc tranſtulerit.

Quia vero Amſtelodamo non ſatis certus fieri potui, illam luem ibi regnaſſe, pro certo dicere non auſim, num ille adoleſcens vero malo dyſenterico, & an non potius ex *phthiſi* cum *diarrhœa colliquativa*, ut alii volunt, perierit, ideo huic hiſtoriæ non ea fides attribui poteſt, in qua certus acquieſcas.

## §. XLVI.

Præter huncce, quantumvis in inveſtigando me multum defatigaverim, alium invenire potui neminem, qui prior Dyſenteria correptus fuerit, quam ſupra dictum *Decurionem*, qui in platea *Pauli* dicta habitavit; hunc itaque equitem veluti in hiſtoria morbi ſupra Cap. I. §. V. & VI. demonſtratum eſt, *primum* deſigno, in quo malum detectum, & per quem id porro diſſeminatum eſt; num autem malum in hoc primum natum ſit, an vero illud ab illo juvene, aut ab alio acceperit, plane hæreo; maxime, cum experiri mihi non licuerit, ante nominato adoleſcenti cum hoc Decu-

rione aliquod commercium interceſſiſſe. Suſpicio quidem aliqua de propagato contagio exinde naſci poſſet, quod *platea Paulina*, & *platea Fratrum minorum* dicta in extremo angulo ſibi contiguæ ſint, indubia tamen concluſio ſequi non poteſt.

## §. XLVII.

Jam vero quibuſdam juxta Cap. I. §. II -VI. videri poſſet, noſtram *luem Dyſentericam conſequens* fuiſſe *diarrhœæ antecedentis*, quæ in Dyſenteriam abierit.

Verum enim vero, *diarrhœæ* illæ *dyſenteriodes* nobis viſæ, in ipſo veræ Dyſenteriæ furore non ſolum, ſed & hac jam ceſſante, adhuc per multos menſes perdurarunt.

Præterea diarrhœæ illo ipſo tempore etiam alibi locorum graſſatæ ſunt, & tamen easdem nullæ Dyſenteriæ exceperunt, ut hinc Dyſenteriam ex diarrhœa ortam fuiſſe, pro certo adfirmare nequeam.

Interim, dum Dyſenteria apud nos non ſubito & uno impetu, aut ex improviſo nata fuit, in uno aut altero ſubjecto facile fieri potuiſſe haud negare velim, ut allata occaſione ſpecifica & nobis adhuc dum ignota, humores bilioſi, ad illud malum jam aliquo tempore ante tanquam præparati & diſpoſiti, in actum & ad ſummum putredinis

&

& causticæ corruptionis gradum deducerentur; & sic primum initium ad insecutam luem sævientem oriretur.

## §. XLVIII.

Tandem itaque aliquis interrogaret, quæ & qualis ergo sit illa *materia physica*, quæ ejusmodi effectus tragicos edit, & quæ *contagium dysentericum* a nobis adpellatur? illi communiter respondebitur: esse *fermentum* specificum, subtilissimum, peregrinum, venenatum, acre, maxime corrosivum, non solum humores nostros in dissolutionem putredinosam convertens, sed & exhalationis specie alios contactu mediato vel immediato inficiens, & ad æqualem corruptionem disponens.

## §. XLIX.

Negandum quidem non est, in genere *morbi* cujuscumque *contagiosi* causam physicam esse *fermentum* aliquod *specificum*, quod contactu alios adficiat, id enim omnes morborum horum historiæ satis evincunt. Sed difficultas in eo consistit, cujusnam indolis specificæ sit illud acre fermentescens, quod efficax sit ad producendum morbum suæ speciei, inprimis cum in tam multo-

rum tamque variorum adfectuum contagiosorum diversitate quilibet morbus *acre* sui generis *specificum* habere debeat.

Etenim non solum morbi *epidemici acuti*, supra citati, tale fermentum contagiosum præ se ferunt, sed & morbi quidam *chronici*, quales sunt omnis generis *Scabies*, *Lues venerea*, *Scorbutus*, *Arthritis*, *Phthisis* &c. istiusmodi quid ostendunt.

## §. L.

Nulla quidem spes affulget, hanc rem a priori perspiciendi.

Est enim *inquinamentum* illud *venenosum* materia invisibilis & adeo subtilis, ut non solummodo omnia humanorum sensuum organa effugiat, sed & simul adeo speciali imo specifico charactere imbutum, & inter se invicem distinctum & diversum est, ut ejus natura a nullo Medicorum hucusque cognosci aut describi potuerit, & forte in perpetuum nos, ceu incognitum & inexplicabile, latebit.

Hinc Medicis non immerito τὸ *latens*, τὸ θεῖον adpellatur, ultra quod progredi, aut clarius rationibus demonstrare, arti non datur. (*s*)

§. LI.

(*s*) *Sunt quædam non solum in Medicina,*

## §. LI.

Qui dicunt, fermentum illud ad certam *ſalis* vel *ſulphuris* ſpeciem referendum eſſe, ni-

---

*na, ſed in tota rerum compagine, quæ nec dici nec ſcribi poſſunt.*

*Vanum itaque nobis videtur, ſubtiliori ſpeculatione phyſica vel chemica originem, naturam & figuras ſpiculorum contagioſorum peculiares, indagare, vel prolixa diſputatione inquirere, ad quodnam ſalium cognitorum genus quodvis eorum acre, ſpecialiſſime peccans, referendum ſit?*

*Celeberr.* Stahlius *in Diſput. de Dyſent. dicit: „ Nos quidem hactenus de vera ſpecifica ratione prognaſcendi, qua ſpecificum „ illud fermentum dyſentericum primo gene„ retur, ſpecialiorem aliquam, veroſimilem, „ atque conceptibilem ætiologiam, dari poſſe, „ diffidimus.*

*„ Interea tamen hoc, ceu recta norma, „ firmo ſtabit talo, & a poſteriori certa ve„ ritas deprehenditur, cauſam materialem, „ phyſicam hujus mali tanquam miaſma fer„ menteſcens ſpecialioris gradus,* more pur„ gantium phyſicorum, draſticorum, cauſti„ corum; venenatorum inteſtina ſpecifice

nihil diſtinctius loquuntur, quam qui *merum alcalinum putridum* hic peccare autumant; cum hæc potius effecta, quam cauſæ morbi dicenda ſint.

Incognita iſta venena non aliter quam *a poſteriori*, & ex ipſo *effectu* & *eventu* rerum cognoſci, exindeque vera eſſentia & natura ejusmodi miasmatis venenati dijudicari poteſt.

Quotieſcunque enim unum venenum *effectu* cum altero convenire obſervamus, concludere licet, ſimilem etiam *cauſam* adeſſe. (*t*)

§. LII.

---

„ *adficere, quanquam a priori ad oculum*
„ *phyſice demonſtrari non poſſit, in quo pro-*
„ *prie hæc qualitas phyſica ſpecialiſſima hu-*
„ *jus fermenti conſiſtat? maxime cum in aliis*
„ *contagioſis morbis videamus, naturam ple-*
„ *rumque per ſudorem, & quidem optimo*
„ *cum ſucceſſu, malum quodvis expellere co-*
„ *nari. Unde, cum nulla, affulgeat ſpes, ſpe-*
„ *cificæ Dyſenteriæ indolis rationem redde-*
„ *re, generaliſſimo hoc conceptu contenti eſſe*
„ *debemus.*"

(*t*) *Senſu Medico in homine venenum naſci, hoc eſt, humores in corpore humano corrumpi, & tam prava putredine vitiari, ut ſubi-*

## §. LII.

Hæc in fermentorum iſtorum venenatorum ratione inveſtiganda & deducenda nobis optima videtur eſſe *via*, quam ſi ſequamur, ac in noſtro caſu perſequamur, tunc demum illuc rem perducemus, ut, ſi non indubitatum quid, certe omnium vero ſimillimum, ſtatuere queamus.

## §. LIII.

Potiora autem morbi noſtri, ut ſupra indicavimus, ſymptomata fuerunt, *cardialgia* ſubita & ſumma, conſtans *conatus vomendi*, *vomitus* actualis, *profluvium alvi* continuum, bilioſum, cruentum, purulentum, *dolores inteſtinorum* intenſiſſimi, eorum *corroſio ſine notabili febre*, huic inſequens *inflammatio*, *abraſio*, *corruptio*, *gangræna*, *ſphacelus*, quibus tandem accedebant

---

*ſubitaneam mixtioni illius diſſolutionem adferant, & qualitatem acquirant non minus deleteriam, quam cujusvis alterius veneni, non ſolum jam diu agnoverunt Medici, ſed & inter ſe diſputarunt, an veneni* innati *&* dati *ſemper certa eſſent ſigna?*

bant *ſingultus*, *convulſiones* &c. & poſtremo tragœdiam claudens ipſa *mors.*

## §. LIV.

Hæc omnia ſi conjunctim ſumamus, ac ſimul ponderemus, quam ſubito, & intra quam paucos, ſæpius tres quatuorve dies, ea omnia evenerint, non vana nobis naſcitur ſuſpicio, tales homines *veneno* aliquo necatos eſſe. Omnes enim veneni effectus hic adſunt, quibus fit, ut corpus citiſſime funeſto modo mutetur, corrumpatur, &, ut ſic dicam, mortificetur.

Nam ſi nobis referretur, talia ſymptomata, extra tempus graſſantis hujus luis, in quopiam viſa eſſe, poſt aſſumtum cibum aut aliud quid, apud homines ſuſpectos, certe crederemus, illi propinatum eſſe venenum, eoque ipſum interiiſſe.

## §. LV.

Hoc non tantummodo adfirmabunt, qui tractarunt aut viderunt homines *veneno*, & inprimis *Arſenico* ſublatos; ſed & mihi notus fuit *vir quidam*, rure habitans, qui *graſſante Dyſenteria* intra tres dies obiit, & in quo *omnia memorata ſymptomata* aderant; nullum Medici implorabatur auxilium, &

præ-

prætexebatur, illum virum Dyſenteria exſtinctum eſſe, ſub quo etiam prætextu, ſine ulteriore inquiſitione, ſepultus eſt, id quod ſane extra tempus graſſantis morbi dyſenterici minime factum fuiſſet. Cum vero inter iſtos conjuges non modo perpetua jurgia & odia interceſſerint, ſed & uxor maritum tanquam abjectiſſimum neglexerit, eoque jam mortuo nulla triſtitiæ ſigna ediderit, verum, uti ante ejus obitum, ſic etiam poſt, cum aliis amatoribus verſata fuerit, non levis ſuſpicio nata eſt, hanc non naturalem, ſed violentam per venenum, fuiſſe illatam mortem; dico, ſuſpicio nata fuit, rem adfirmare nolumus, cum ambo venena, dyſentericum nempe & arſenicale, ſimilem inter ſe edant effectum, ut difficile ſit determinare, utrum horum hominem necaverit.

## §. LVI.

In his itaque caſibus, nempe in Dyſenteria & veneni hauſtu, pro *cauſa* adeſſe debet, *acre* aliquod *cauſticum*, *corroſivum*, quod ventriculi & inteſtinorum tunicas compungit, & continua vellicatione rodit, arrodit, corrodit, abradit, exedit, exulcerat, & ſic dolores intenſiſſimos, anxietates continuas, cardialgiam, nauſeam, vomi-

 tum,

tum, alvi profluvium continuum &c. inducit, corpusque ad ſubitam putrefactionem diſponit.

Si vero venenum illud corroſivum putrefaciens ex ſua natura validum eſt, aut inteſtinorum & viſcerum abdominalium tunicis adeo tenaciter adhæret, ut avelli educique nequeat, quin potius mucum naturalem abradat, nervos vellicet, humoribus blandis qualitatem venenoſam conciliet &c. neceſſe eſt, ut inflammationes, gangrænæ, & mortificationes hinc inde in corpore oriantur, quas natura irrito ſane conatu ſæpe expellere nititur, unde tandem ſingultus, convulſiones, vomitus & alvi fluxus lethalis &c. inſequuntur.

## §. LVII.

Si vero omnium venenorum effectus examinamus, nullum mihi notum eſt, ad quod modo dicti effectus & ſymptomata in corpore humano propius accedant, quam illud, quod *Arſenicum* adpellamus.

Si enim hoc a quopiam aſſumtum eſt, omnia ad amuſſim ea eveniunt, quæ in Dyſentericis deprehendimus; nimirum, *venenum* illud *arſenicale* certa quantitate hauſtum, vi ſua ſeptica & cauſtica inteſtina corrodens cardialgiam, anxietates, dolores,

con-

convulſiones, inflammationes, ſphacelationes, vomitum & Dyſenteriam lethalem *ſine notabili febre inflammatoria* excitat, & æque brevi tempore, iisdemque ſymptomatibus accedentibus, totum humanum corpus deſtruit, ac *venenum dyſentericum*, ita ut hoc ipſum cum nullo alio propius conveniat, aut comparari queat, quam cum veneno arſenicali.

## §. LVIII.

Ab horum itaque eventuum & effectuum ſimilitudine & comparatione, qua nimirum ſatis evidenter demonſtravi, venenum *dyſentericum omnium maxime convenire & optime comparari poſſe cum veneno Arſenicali*, non inepte cum Hermeticis me locuturum puto, ſi ſtatuam, hoc ipſum *acre venenoſum in noſtro morbo dyſenterico arſenicalis naturæ & indolis* fuiſſe. (*u*)

§. LIX.

---

(*u*) *Clar.* Mortonus *venenum* arſenicale *jam dudum cauſam morbificam nuncupavit, quæ emeſin vel catharſin, vel utramque ſimul evacuationem inducit, quales ſunt Choleræ, Dyſenteriæ torminoſæ, ſimplicis vomitionis, quia ab his eadem excitantur ſympto-*

*pto-*

## §. LIX.

Objiceret mihi forſan aliquis, *Dyſenteriam* noſtram exſtitiſſe *contagioſam*, cum contra ea, quæ ab Arſenico infertur, non ſit contagioſa; atque adeo arſenicalis proſapiæ nomen ferre non poſſe.

Verum enim vero, hoc noſtræ theſi nil derogat; conſiderato, Arſenicum non poſſe miaſma contagioſum exhalare, cum ſit ſubſtantiæ fixæ mineralis, & extrinſecus propinetur:

Contra *venenum arſenicale dyſentericum* intra noſtra corpora generatur, atque adeo eſt naturæ animalis & volatilis, quod venenato ſuo vapore ſubtili per poros corporis noſtri penetrare, aliosque, per venenoſam

---

*ptomata atque ab Arſenico, alioque pharmaco deleterio ſumto.*

*Et hunc malorum fomitem venenatum ex abuſu longo ſex non Naturalium in maſſa ſanguinis* intus naſci *autumat. vid. tract. ſupr. citat.*

*Ab* aëre arſenicali *ſanguinem noſtrum acrem reddi, & inde Dyſenteriam malignam ortum ſuum ducere, docuit* Blankardus *in Praxi Medica.*

ſam ſuam qualitatem, eadem labe adficere poteſt.

## §. LX.

Quod vero in animantibus corruptio quædam adeo vehemens excitari, aut *humores* eorum adeo *corroſivi* evadere queant, ut non ſolum veneni ſimilem vim ac qualitatem habeant, ſed etiam *contagioſi* ſint, notiſſimum eſt.

Conſideremus modo mala ab aſſumtis corruptis alimentis, ex. gr. *carne*, *piſcibus*, *ovis* &c. *putreſcentibus* genita, aut *ſeminis* intra corpus *corrupti* venenoſam qualitatem ac naturam, quæ omnia ſæviſſima ſymptomata in corpore excitant; inprimis vero *venenum animalium rabidorum* ex. gr. Canum, Felium, Luporum &c. quod ex *inſigni bilis ardore* & *putredine intra corpus animalis* productum habetur, eique ſimul ineſt potentia, *morbum contagio communicandi* & producendi; ut taceam venena *ſcabioſa*, *venerea*, *ſcorbutica* &c. intra corpus humanum genita, & ſatis virulento-contagioſa.

## §. LXI.

Tandem ſi interrogatur, ubi ergo pars adfecta & *ſedes* hujus *animalis arſenicalis veneni* quærenda ſit? ad id reſpondeo: in no-

nostro morbo dysenterico *bilem* omnino pro ea habendam esse.

## §. LXII.

*Bilis* enim vario modo, ex. gr. *ab ira*, a *summo aëris æstu*, aliisque causis excitantibus, effervescentibus, &c. facile excandescere, putrescere & ita mutari potest, ut *acerrimus* & admodum *corrosivus* ac *malignus* inde evadat humor, qui corpus intra breve tempus tanquam venenum destruit:

Ex his dein causis reliqui quoque humores corporis nostri, inprimis pingues, ut sanguis &c. valde fervent, inflammantur, corrumpuntur, ac variis impuris & corruptis particulis implentur.

Idque hoc citius fit, ubi jam aliqua ad corruptionem putredinosam corporis dispositio concurrit; tunc levi accedente causa externa vel interna, vel utraque simul, malum ex minimo motu in actum deducitur, & ad summum violentiæ & malignitatis gradum exacerbatur.

## §. LXIII.

Hoc non solummodo tot *morbi gravissimi* & *acutissimi a bile exorti* testantur, sed etiam hoc in specie evincit alius morbus, *Dy-*

*Dyſenteriæ bilioſæ* aliquo modo affinis, præterquam quod contagioſus non ſit, qui *Cholera* vocatur, & in quo ſaburra bilioſa ventriculi & inteſtinorum adeo cauſtica & corroſiva evadit, ut veneni ſeptici inſtar non tantummodo vias, per quas tranſit, arrodat, corrodat, & excoriet, eoque ipſo magnos *cruciatus*, *dolores*, *cardialgiam ſummam*, *vomitum*, *alvi fluxum*, aliaque lethalia & *dyſentericis maxime familiaria ſymptomata* excitet, ſed & per vomitum in nudum pavimentum effuſa cum hoc efferveſcat. (*x*)

§. LXIV.

---

(*x*) *A* bile *eosdem effectus oriri, ac ab* Arſenico, *aut ſimili veneno adſumto, Medici conſentiunt.*

*Sic* Choleram *eodem modo ab Arſenico excitatam eſſe, hominesque per illud cum iisdem ſymptomatibus, quæ* Choleram *comitantur, mortuos fuiſſe, plura apud Auctores proſtant exempla.*

*Cum morbo noſtro magnam etiam adfinitatem habet atrociſſimus ſimul & pertinaciſſimus ille dolor colicus*, Colica Pictonum, *dictus; ambo enim non modo multa inter ſe communia habere, ſed etiam quandoque inter colicam Pictonicam & Dyſenteriam tantam*

## §. LXIV.

Hæc itaque *bilis corruptio acris*, quæ instar *veneni* in dyſentericis ſupra enumerata ſymptomata producit, initio morbi *in primis viis* ſeſe manifeſtat, non vero diu hic in partibus ſolidis fluctuans manet, ſed ſpicula ſua heterogenea putrido-corroſiva mox etiam *humoribus* & ipſi *maſſæ ſanguineæ* ſenſim immittit, eamque ſimul corrumpit, id quod inter alia maxime comprobant *tubercula*, *furunculi*, *puſtulæ ſuppurantes*, *purpura rubra*, *maculæ petechiformes* & alia exanthemata cutanea, quæ in Dyſentericis quibusdam efflorefcebant.

A quibusdam enim venenis non ſolummodo partes adfectæ gangrænefcunt, ſed & ſanguis cito in putredinem vertitur. (*y*)

§. LXV.

---

*tam intercedere convenientiam*, *ne* contagio quidem excepto, *ut*, *quo nomine*, *vel qua methodo deſcribi & percurari debeat*, *dubium valde incertumque ſit. De quibus uberius legi meretur Celeberr.* Grashuys *Tract. de* Colica Pictonum conſcriptus, *quo ſit relatio.*

(*y*) *Obſervationes Practicorum nos docent*, *bilem in Dyſentericorum cadaveribus ſem-*

## §. LXV.

His itaque dictis, haud leviter me probasse arbitror, *venenum arsenicalis naturæ e bilis acrimonia & corruptione putredinosa in corpore nostro generari*, huncque humorem biliosum tanto corrosionis stimulo acui, ut non solum intestina ad assiduum alvi exonerandæ conatum urgeantur, sed etiam omnia reliqua symptomata insequantur, quorum supra in historia morbi mentionem fecimus.

## §. LXVI.

Estque *hæc observatio* attentione maxime digna;

Hac enim inquisitione prudenter instituta, non solummodo abscondita inquinamenti dysenterici indoles & natura aliquantum *pathologice* illustratur, sed & methodus *therapeutica* & recta via indicatur, quam sequatur Medicus in praxi clinica

---

*semper vitiatam modo in quantitate, modo in qualitate deprehensam fuisse, ita ut vel omnis prorsus sublata, vel qualiscunque restitans ejusdem portio nimium acris & corrosiva adparuerit.*

ca & adplicandis remediis antidotis, adpropriatis.

In *prognosi* quoque multo cautior erat, qui hujus veneni indolem noverat, utpote sibi conscius, illud venenum non adeo facile remediis domari, morbumque ab eo inductum nunquam vacare periculo.

§. LXVII.

Exitus etiam & *experientia* uberrime monstravit, nec vanam nec inutilem fuisse hanc nostram speculationem. Ea enim duce indicabantur maxime salutaria medicamenta, aut quæ cane pejus & angue fugienda essent.

Sed qui rem quasi per transennam inspiciebant, cum *ex natura hujus veneni* non semper adessent gravia indicia febrilia, morbum leviorem judicabant, magnaque artis fiducia, sed frustra, eum adgrediebantur.

§. LXVIII.

Cum vero omnia illa pluribus persecutus sim, ut quantum fieri posset, hujus *veneni dysenterici causa* & *natura* clare & distincte indicaretur, & tamen quibusdam eo nondum satisfactum fuerit, illos oro, ne mihi litem moveant, sed in hoc mecum sequan-

quantur Theologos, qui, ſi de *Myſteriis* quanta poſſunt perſpicuitate locuti ſunt, ſuaque dogmata compluribus dictis biblicis confirmarunt, in fine ſermonis fatentur, *ſemper aliquid eſſe, quod mortalibus nondum datum ſit, clare aut perſpicue cognoſcere.*

## §. LXIX.

Tandem prætereunda non eſt eorum ſententia, qui Dyſenteriam in *morbis congeſtoriis* habent, ſtatuentes, cauſam ejus formalem eſſe *principium movens*, humores copioſe verſus inteſtina dirigens, ad infringendam materiam fermenteſcentem, ejusque potentiam inflammatoriam præoccupandam, ac per inteſtina ſequeſtrandam, ne in actum tranſeat.

## §. LXX.

Jam quidem *in nullo morbo nego ſynergiam principii vitalis*, ſed eam hoc potius admitto, quia mihi perſuaſum habeo, ſine illius concurſu nos in Medicina parum aut plane nihil effecturos eſſe.

Interea tamen hæ vires & conatus naturæ ad ſuperandos morbos aut id, quod naturæ moleſtum eſt, rejiciendum, in nulla alia re conſiſtunt, aut ſeſe probant, quam

in *motibus ſecretoriis* & *excretoriis præter ſtatum naturalem auctis*; ſed hi motus in caſu adſumti veneni, aut effectuum ex venenoſa materia oriundorum, ad hos præoccupandos aut tollendos non ſolummodo non ſufficiunt, ſed & per ſimplices tales Medicorum conceptus & intentiones vera *morboſarum cauſarum*, earumque effectuum *cognitio phyſica* juſto nimis negligitur, quæ tamen ante omnia perſpicue cognoſci deberet, ſi illa venena lethifera per directe & phyſice oppoſita auxilia, cum ſpe ſalutis, oppugnare velimus.

## §. LXXI.

Præcipua *utilitas*, quam *ex illa hypotheſi* in noſtro caſu capere poſſumus, in eo conſiſtit, quod ea moneamur, talia ſubjecta non facile per *adſtringentia* & fluxum *ſiſtentia* eſſe tractanda, ne talis materia fermenteſcens venenoſa, *ipſa reluctante natura*, intra corpus retineatur;

*Non* vero *eſt in poteſtate naturæ*, ut fermentum lethiferum ipſum motibus ſuis qualibuscumque aut corrigat, aut ad illa emunctoria emittat, per quæ *efficaciter* ſecerni aut excerni poſſit.

Propinetur ex. gr. cuidam venenum quodcumque libuerit, uti *aqua fortis* aut ſimile,

non

non tamen adeo magna copia, ut vires vitæ eam plane ſuperare nequeant; exhibeantur poſt adſumtam aquam fortem humectantia, diluentia, evacuantia &c. quanta copia velis, natura ſecernat & excernat, quantum viribus valeat, parum aut nihil conducet, venenum potius cito in partes ſolidas penetrat, ibique lethalem exſerit effectum.

Hic *ſola corrigentia veneno phyſice oppoſita* levamen adferent, ſi illud adhuc promte ſatis adſequi poterunt; proinde, ſi homini ita adfecto immediate poſt hauſtam aquam fortem, antequam partes ſolidas multum læſerit, propinaretur *antidotum alcalicum*, *ad punctum ſaturationis* usque, veneni vis corroſiva extemplo enervaretur, obtunderetur, exſtingueretur, hocque modo ejus progreſſum præoccupando, æger optime ſervaretur.

Nihil hic me anxium habet principium vitale: omnia ipſius molimina ad exſtinguendum aut eliminandum illud venenum nihil valebunt, omnem opem extrinſecus a Medico phyſico externo deſiderat & expectat.

Idem videmus in veneno *venereo*, *ſcabioſo*, *ſcorbutico* aliisque, ad quod ſecernendum & excernendum natura ſola motibus ſuis nunquam ſufficit, omnium minime vero illud corrigere poteſt, adeo qui-

dem, ut iſti veneno omnino ſuccumbere cogatur, niſi illi externe potentiſſima & efficaciſſima auxilia ferantur per corrigentia phyſica ſpecifica.

## §. LXXII.

Ita etiam res in morbo *dyſenterico* ſe habere mihi videtur: principium vitale peragit, quicquid poteſt, ad exterminandum hoſtem in inteſtinis hærentem, qui vitæ filum brevi abrupturus eſt, ſi in ſua ſede gangrænam excitet, aut in ſanguinem tranſeat. Sed parum vel nihil poteſt; *antidota* externa phyſica exſpectat: ſi hæc mihi nota ſunt, principium vitale miſſum eſſe jubeo; hoc per ſe officio ſuo fungetur, ſi modo Medicus externus id ſemper ageret, ut huc ſpectantia medicamenta efficacia & adpropriata ſcite adplicaret.

A principio vitali ſæpius exſpectatur, quod ab eo proficiſci non poteſt. Officium Medici interni & externi diviſum eſt, quorum quilibet, prout decet, partes ſuas conferre debet; ubi vero alter eorum officio ſuo minus rite fungitur, rei eventus fauſtus vix eſſe poterit. (z)

§. LXXIII.

(z) *Medici, ut Naturæ Miniſtri, officium in*

## §. LXXIII.

Et hic *artis auxilium* quam maxime eminet;

Inprimis, cum etiam *venena* dentur, quorum effectus in corpore humano non ita in oculos incurrunt, nec adeo in corpus physicum materiale, quam potius *in principium movens immateriale immediato contactu & efficacia* agere, ejusque *motus vitales* directe inhibere, iisque officere videntur, veluti, ut uno hoc exemplo utar, de *Opii veneno* notum est, quod animi motus ita simpliciter in corpore inhibeat, ut ne quidem ulla sensibilis mutatio vel corruptio physica animadverti queat, præter eam, quæ ex simplici defectu motus sanguinis circulatorii sequi necesse est.

In *veneno arsenicali* similiter aliquid residet, quod *motus naturæ potius sufflaminat*, quam ultra gradum naturalem multum auget, interim tamen vim suam deleteriam atque mortificantem majori cum progressu peragit.

Id-

---

*in eo versatur, ut prudenter consideret, quando, quomodo & quibus auxiliis seu instrumentis ferendæ sint suppetiæ.*

Idque omne merito ponderandum eſt, quando Medicus cauſæ alicujus morbi certis atque efficacibus remediis obviam ire, eamque vincere velit.

## §. LXXIV.

Denique notandum eſt, quod valde erraverint Medici, qui morbum noſtrum *fluxus hepatici* nomine inſigniverunt.

Licet enim hic fluxus a quibuſdam etiam Dyſenteria hepatica, bilioſa, audiat, tamen a vera Dyſenteria hoc criterio ſe dinſtinguit, quod vera & *exquiſita Dyſenteria* morbis epidemicis adnumeretur, & per ſe & ſua natura *contagioſa* ſit, adeo ut contagium inter ſigna pathognomonica veræ Dyſenteriæ reputetur, ac alvi fluxus non inficiens pro vera Dyſenteria haberi nequeat.

*Fluxus* contra *hepaticus* non eſt contagioſus, neque epidemicus, neque ad dyſentericam malignitatem accedit, nihilque de inteſtinis abraſum ejicit, itaque in pluribus ſymptomatibus a morbo dyſenterico diverſiſſimus eſt.

# C A P. III.

## *Continens Curam Dyſenteriæ Billioſo-contagioſæ.*

### §. I.

PErluſtrato Dyſenteriæ noſtræ *nexu cauſali*, opus nunc eſt, ut ad *curam* nos accingamus. Si vero practicorum libros & ſyſtemata evolvimus, tam varias & ſæpius contrarias ac ſibi e directo adverſantes in morbis dyſentericis curandi methodos, tantamque medicamentorum farraginem offendimus, ut quem ſequi debeamus ducem, vix videamus. Idem hic nobis accidit, quod in pluribus gravioribus morbis. Quisque conſilium novit, quisque ſuas merces laudat, creditque ſe fallere neſciam methodum ac remedia ad ſanandum hunc morbum inveniſſe.

### §. II.

Ita ex. gr. alter vomitoria, purgantia, venæſectiones ſuadet, alter quam maxime damnat; hic clyſteres præcipit, alter relegat; hic adſtringentia, bezoardica & ſu-

dorifera commendat, alter rejicit; hic opiatis ſummas & ſingulares virtutes tribuit, alter nihil aut parum illis confidit; alius nil niſi ſpecifica crepat, alius omnem omnibus ſpecificis virtutem negat; alius ex. gr. aquam frigidam mortis, alius vitæ cauſam declarat; & ſi quæ aliæ Scriptorum ſunt ſententiæ ſibi contrariæ, quæ tamen omnes veræ eſſe, & ſuum locum habere poſſent, dummodo verus cujuslibet morbi genius ejusque cauſa prius certo exploretur.

§. III.

Sunt enim revera Dyſenteriæ, quibus illa ipſa medicamenta, quæ in eodem adfectu, aut qui ſaltem idem eſſe videbatur, ſaluti fuerunt, alio tempore adeo repugnant, ut potius contrarium effectum ſortiantur; ad quam cautelam a Medicis, quantum prudentiæ humanæ datur, utique attendendum eſt.

§. IV.

Sicuti vero Dyſenteriæ non omnes eædem, ſed ſpecie admodum inter ſe variant, ita illarum *methodum* & *praxin generalem* non habemus, nec fere ullum medicamentum antidyſentericum dictum, in omni hujus

jus morbi ſpecie ſemper & in quolibet corpore prodeſt. (*a*)

Medicus ideo ſtatim ſtupet, ut primum ægrum hujus alteriuſve ſpeciei tractandum nanciſcitur. Nam ſane maturum requiritur judicium, ubi vera differentia conſtituenda, atque indicandum eſt, an quidem unus idemque ſit morbus, qui vulgo eodem nomine inſigniri ſolet, aut quænam ſpecies Dyſenteriæ ſeſe nobis offerat, & quouſque in omnibus ſuis circumſtantiis cum ſimilibus nobis cognitis morbis conveniat, nec ne?

## §. V.

Hoc vero ſi negligitur, ut eam, quam tractes *ſpeciem*, non ſatis *diſtincte* determinare, neque dignoſcere noveris, utrum iisdem in circumſtantiis verſere, in quibus methodum & veſtigia alicujus Scriptoris premis, ſed aſſiduo tantum evolves, quid in libris pro excellentibus remediis ad Dyſenteriam conſignatum reperitur, eadem que-

---

(*a*) *Quisque morbus, & quodvis fere individuum, peculiarem medendi & tractandi rationem deſiderat.*

que patientibus tuis, qui forſan plane alia Dyſenteriæ ſpecie laborant, cœco ductu adplicare velis, miſere te deceptum experiere, ac exitus non niſi caſu exſpectationi reſpondebit; ita ut proverbium verum evadat: *curantur ægri in libris, moriuntur in lectis.*

## §. VI.

Eſt vero in ipſis Scriptoribus non levis hic *error*, quod ipſi ſæpe non ſatis diſcriminis in morborum ſuorum ſpecie ponant, eamque non ita clare & accurate deſcribant, ut legentibus adpareat, in quo una ſpecies cum altera conveniat, aut in quo diſcrepet; verum ſuæ methodo & adplicatis remediis nimis magna encomia addant, & quicquid in una Dyſenteria certoque tempore ſalutare ſunt experti, idem ſine delectu in omnibus Dyſenteriis omnique tempore commendent &c. At, quia nec ipſi cum ratione demonſtrant, quare ab hoc vel illo remedio bonus effectus ſit ſperandus, tunc ſi ipſe fontem mali non ſatis penetraveris, labor iſte parum emolumenti adferet, & incommoda res eſt, ejusmodi Scriptoris laudatam viam ſequi.

§. VII.

## §. VII.

Non vero tam *copia Medicamentorum* deſtituimur, quam potius vera morborum & remediorum cognitione phyſica; in hac utplurimum a vero diſceditur.

Si quis vero genium morbi & remedii phyſicum non intime perſpectum tenet, impoſſibile eſt, ut conſilium aut medicamenta indoli adfectus rite accommodentur, indeque fit, ut ſi medicamenta adplicata illum ſucceſſum non ſortiantur, quem libri promittunt, Scriptores ſibi invicem fiant contrarii, & id omni opprobrio dignum pronuntient, quod alii laudibus in cœlum ferunt.

## §. VIII.

Inprimis vero quilibet *recens* natus morbus *epidemicus*, vel alius *contagioſus*, malignus, novam animi attentionem & indagationem expoſcit, ex quibus videlicet cauſis extraordinariis & ſpecialioribus iſte morbus originem trahat? cujus indolis ſpecificæ ſe nobis monſtret? quales effectus noxios producat? qualem exitum habuerit? quid ſalutare, quid pernicioſum fuerit? &c. in quibus omnibus maxime circumſpectus & cautus debet eſſe Medicus, quia, non obſtante omni prudentia humana, *primus*

*æger*

*æger prima plerumque ſolet eſſe victima*, ex qua Medicus quaſi diſcit, qualis morbi nova ſpecies tractetur.

Nec aliter fieri poteſt, omnesque viri ingenui fateri cogentur, nos a priori prævidere non poſſe, cujus indolis morbi nobis in præſenti vel in futurum ſint ſuperventuri.

Et quanquam ſic primi, fato ſic volente, præ reliquis ſint infeliciſſimi, tamen eo ipſo feliciores ſunt ſequentes, dummodo Medicus morbi genium ac cauſam diligenter exploret, methodumque ſuam medendi ad hanc normam dirigat, id quod primum ac tutiſſimum eſt; ſi vero id negligatur, atque antiquum ſemper obtineamus, eadem calamitas prioribus poſteros æquat.

## §. IX.

Cum itaque *Praxeos fundamentum* ſit genuina morbificæ cauſæ cognitio, animus Medici in id intentus ſit, ut illi rationi conveniens methodus adplicetur. Hæc enim cauſarum cognitio nos veras indicationes & rationes curandi docet, ut certo ſciamus, quomodo quibusve remediis morbus pro ſpeciali ſua indole oppugnari debeat.

§. X.

Eſt enim Medicina practica eo provecta, ut cum quadam evidentia & certitudine, ſi cauſas læſionum & ſymptomatum bene noverimus, ægrum curare poſſimus.

*Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.*

Medici vero dubii cauſarum, dubii etiam ſunt remediorum.

§. XI.

Et cum in noſtro caſu *bilis* præ reliquis humoribus adfecta ſit, ac fermento aliquo acri morboſo inquinata, quod ei efficaciam impertiat, inteſtina venenorum more rodendi & ſtimulandi; facile inde patet, primam & *primariam indicationem curativam* eſſe, ut ſaburra illa *contagioſa dyſenterica*,illioſa, acris, irritans, ſtimulans, in ventriculo & inteſtinis ſtabulans, ante omnia & quantocyus e corpore ἄνω vel *κάτω ejiciatur*, & hoc pacto natura ab illa moleſtia liberetur.

*Omnes enim Dyſenteriæ in ſuo principio* iſtas purgationes optime ferunt, quatenus nimirum acre peccans auferendo noxios ejus effectus inhibent.

§. XII.

## §. XII.

Diſceptatur quidem inter Medicos, *per ſuperiorane* potius, an vero *per inferiora* evacuatio inſtituenda ſit? & quænam optima ſit via? ſed in eo vix regula generalis obtinet, ideoque pro ratione morbi, temporis & ſubjectorum, prudentiæ Medentis illud omnino relinquendum erit.

## §. XIII.

Præterea quod *emetica* ipſa ſpectat, ſi illa in morbo indicantur, in diverſum iterum abeunt Medici, *quænam ſint eligenda?*

Sunt qui ſtatuunt, nihil intereſſe, quænam illa ſint, omniaque emetica pari cum ſucceſſu adhibenda ſuadent; dicunt enim illa eatenus ſolummodo proficere, quatenus humorem peccantem excutiant, ſicque cauſam mali tollant. (*b*)

Si id æqualiter facerent, nullus diſſentirem, arbitror autem ſemper notabilem inter

---

(*b*) *In radice Ipecacuanhæ nihil ſpecifice latere, & illius defectum* radice Aſari, *eadem doſi, eademque ratione propinata, ſuppleri poſſe, quidam ſtatuunt Medici caſtrenſes.*

ter ista remedia differentiam intercedere, & lenia vehementioribus utique esse anteferenda.

Quæ enim hunc in finem commendantur *Antimoniata*, qualia sunt *Crocus Metallorum*, *Vitrum Antimonii*, *Tartarus Emeticus*, *Sulphur Antimonii*, hæc de virulenta sane, caustica, imo ut quidam non inferioris subsellii Chemici volunt, *arsenicali* prosapia aliquid habere existimantur; hinc cautissime & summa cum circumspectione, nec nisi deficientibus melioribus, necessitatis lege urgente, in usum vocanda suaderem, tam ob cardialgias maximas, quas concitant, quam ob corrosiones & majorem intestinorum læsionem ab iis timendam. (*c*)

## §. XIV.

Nonnulli radicem illam e Brasilia allatam, *Ipecacuanham* dictam, tanquam primarium &

(*c*) Emetica antimonialia *omnes veneni caustici & drastici characteres exhibent; hinc illis rectissime adnumerantur; non enim solum* ἄνω *&* κάτω *vehementissime purgant, sed & hypercatharses lethales sæpe inferunt.*

& ſpecificum contra Dyſenterias emeticum commendant, quia cum in *India Orientali*, tum in *Occidentali*, in omnibus Dyſenteriis & Diarrhœis magno cum ſucceſſu adhibetur, unde etiam nomen *radicis antidyſentericæ* κατ᾽ ἐξοχὴν accepit, ac in noſtra Mundi parte primum in Gallia admodum celebrari cœpit.

Sunt tamen, qui eidem virtutem illam ſpecificam negant, dicentes, ipſam radicem non agere ut *ſpecificum*, ſed ut *expellens violentum*, quatenus vitioſam bilioſæ cruditatis copiam ex primis viis tollit.

Imo ſunt, qui obſervationes adferunt, ex quibus liquet, ejus opem non modo nullam fuiſſe, ſed etiam adhibitam excitaſſe majorem fluxum dyſentericum, eumque exacerbaſſe. Hinc ab ejus uſu potius abſtinendum ſuadent, niſi forte Dyſenteria a mala diæta ex. gr. eſu fructuum horæorum, aut potulentorum fermenteſcentium ingurgitatione, originem trahat: quo tamen in caſu etiam alia vomitoria locum habere poſſent.

## §. XV.

Verum enim vero, non peccat radix in ſua virtute, ſed peccatur potius in ejus *adplicatione*, dum nec verus morbi genius ſemper cognoſcitur, nec juſtum tempus, quo

cum

cum ſucceſſu, aut quo cum damno in uſum vocetur.

In his ſi *errore* ducimur, nec Dyſenterias diſtinguimus, nullum medicamentum, ne optimum quidem, proficiet.

Ideoque errore non vacant, & qui radicem in omnibus Dyſenteriis præſcribunt, &, qui eam ubique plane rejiciunt.

## §. XVI.

*Conducit* autem *hæc radix* in omnibus caſibus, ubi cauſa morboſa adhuc in primis viis hæret mobilis, &, quod notandum, partes ſolidas nondum adfecit.

Quando vero acre dyſentericum in inteſtina converſum partes ſolidas jamjam corroſit, aut humoribus intimius ſeſe inſinuavit, id quod ex anxietatibus præcordiorum continuis & vomendi conatibus inanibus facile cognoſcitur, tunc dubius utique aut plane irritus eſt omnis per hanc radicem excitatus vomendi conatus, nec per emeticum qualecumque quidquam boni aut ſalutaris effectus ſperandum erit; nam materia illa peccans tunc hac via e corpore eliminari non amplius poteſt, partium potius læſio & inflammatio major inducitur, quam ſphacelus & ipſa mors inſequi debent.

## §. XVII.

Et quanquam negare nolim, hanc radicem ſolummodo *generali facultate emetica* agere; tamen hæ ipſæ ejus virtutes adeo parvi faciendæ non ſunt, ut nobis perinde eſſe debeat, utrum ea nobis deſit nec ne? quod minus accurate judicatum eſſet.

Nam præter effectum ſuum emeticum ſimul adeo *peculiare* & *ſpecificum quid* operatur, ut alia vomitoria eam non facile æquent, nec aliud, quod ejus in locum eodem cum effectu ſuccedat, excogitari poſſit.

Quamdiu ergo nobis adſunt meliora, quare iis repudiatis viliora amplecteremur?

## §. XVIII.

Certe non *aliud medicamentum emeticum* nobis innotuit, cujus utilitas ſe latius pandat.

Namque hæc radix non ſolum materiam morbificam, licet tenuiſſimam, avellit, eamque per ſuperiora, rarius per inferiora, commode & laudabiliter, nulla cum noxa, educit, ſed & poſt vomitionem aut purgationem *adſtringendo robur* inteſtinis concilliat, eorumque tonum relaxatum reſtituit, quod ab aliis emeticis non fieri, imo inte-

ſti-

ſtina magis relaxari & debilitari, longa obſervatione jam innotuit.

## §. XIX.

Sunt, qui præter cognitas has virtutes huic radici *facultatem abſtergendi*, *meatus reſerandi*, & *infarctus reſolvendi* adſcribunt; ſunt, qui inſuper *virtutem alexipharmacam* in ea agnoſcunt, quæ omni veneno & malignitati inſigniter reſiſtat: (*d*)
Hoc autem in quantum veritati conſentaneum ſit, ulteriori experientiæ relinquendum eſt.

## §. XX.

Utut autem res ſeſe habeat, licet huic radici infallibilem efficaciam tribuere nequeamus in perſananda Dyſenteria in genere, tamen illa *admodum conveniens remedium* eſt, ſuo tempore dandum, & non modo ubique,

---

(*d*) *Hinc etiam ad Diarrhœas*, *&* *Dyſenterias cum* febri continua, leviore *aut* intenſiore *junctas*, *profligandas*, *radicem Ipecacuanhæ effectum tantum non infallibilem edere*, *teſtantur Scriptores in* Commerc. litt. Norimb. *Ann.* 1744. *pag.* 55.

que, ubi vomitorio uti convenit, commode, tuto, & ſine ullo damno aut læſione inde metuenda, adhiberi poteſt, cum ſecurius agat, quam omnia alia nobis nota;

Sed etiam eadem Ipecacuanha in noſtra Dyſenteria *mirabiles effectus* edidit, uti omnes fatentur, qui ea uſi ſunt, nec unquam contrarium aut nocivum effectum ex ea deprehendi.

Nam quanquam initio multi mirarentur, quod ego prima vice, quantum novi, hoc emeticum in noſtro morbo in auxilium vocarem, tamen omnes facile conſentientes habui, poſtquam viderant, ægros, noſtro conſilio utentes, ex illius radicis uſu optime ſeſe habere.

## §. XXI.

Quod *uſum* hujus medicamenti attinet, controverſia adhuc inter artis Magiſtros viget;

Quidam *pulverem* ejus *ſimplicem* porrigunt:

Alii, ſcrupulo ducti, *infuſum* ejus cum *aqua* communi vel *vino albo* præparatum tutius meliusque exiſtimant:

Sed *infuſo* ego nunquam uſus ſum, quia tunc radix dupla quantitate ſumenda erat, & præterea doſis in infuſo pro quovis ægro

non

non ita accurate definiri, aut in tanta ægrotorum multitudine pro quovis ſeparatim decoctum fieri poterat.

Si vero *decoctum* ideo præſtantius eſſet, uti fert aliorum opinio, quia minus efficax ſit ad vomitum excitandum, aut purgandum, ſed *magis adſtringens*, ipſum illud decoctum hoc minus adhibuiſſem, quo adſtringentia minus ferebat morbus noſter.

Itaque ſemper & ubique *pulverem* radicis *in ſubſtantia* ſimpliciter & abſque ullo additamento præſcripſi, hoc enim haud bene fert. Adultis ad ſummum propinabam a *drachma ſemis* ad *ſcrupulos duos*, parvulis ſolummodo *aliquot grana* pro ratione ætatis.

## §. XXII.

En jam etiam *methodum* & *cautelas*, quibus in illa adhibenda uſus ſum:

*Curative* eam exhiberi curavi ægris omnibus, nullo diſcrimine ſexus aut ætatis, ipſis etiam delicatulis, debilibus, imo gravidis, lactantibus & lactentibus, ſi modo ſubjectorum conditio ita comparata eſſet, ut cum ſpe ſucceſſus adplicari, aut utilitatem adferre potuerit:

Sumere præcepi ſtatim in ipſo morbi principio, cum adhuc vires conſtabant, viſcera firma erant, & mali fomes adhuc in

ventriculo hærere videbatur, quam primum vidi adesse conatus vomendi, aut alvi insuetum fluxum, aut ubi propter cardialgiam, borborygmos &c. *suspicio secuturæ Dysenteriæ* aderat:

Nam in eo summa salutis versabatur, si *tempestive* satis exhibebatur, ne experimentum, secundum *Hipprocratem*, esset periculosum.

## §. XXIII.

*Usus radicis tempestivus* semper erat *salutaris*, eo enim aut morbus una vice plane tollebatur, aut saltem valde imminuebatur, ut dein facili modo superari potuerit.

## §. XXIV.

Etiam *iteratus* hujus *radicis usus* salutaris exstitit, nec unquam male cessit.

Quando enim una dosis omnem mali colluviem auferre nequibat, idem remedium aliquoties revocandum erat in usum, ut optatus obtineretur effectus.

Itaque, si ad primam dosin *cardialgia*, *nausea* & *alvi fluxus* nondum cessabant, eandem uno die vel biduo post denuo exhibui, idque post aliquot dies vel *tertia vice*, urgente necessitate, repetii:

## §. XXV.

Non vero ſolummodo in principio, ſed etiam in *ſtatu*, imo *quovis morbi tempore*, optimo cum ſucceſſu adhibebatur, ſi modo aliquid de fomite in ventriculo reſtabat, ac nullum contrarium indicans ſignum ex. gr. inflammatio aut ſuppuratio inteſtinorum, virium defectus, &c. aderat. (*e*)

## §. XXVI.

Boni eventus ſignum erat, ſi ægri *bilem flavam* aut *viridem* vomitu, vel etiam per al-

(*e*) *Alii hanc radicem tamdiu adhibere jubent, quamdiu ægrotus per noctem ter vel quater, ad alvum deponendum, ſollicitatur. Vid.* Commerc. litter. Norimb. *Ann.* 1733. *pag.* 44. *&* *Ann.* 1744. *pag.* 221. *Et hac methodo multos curatos fuiſſe, quam plurimi jam adfirmant Medici præſtantiſſimi.*

*Nec etiam neceſſe eſt, certas diei horas ad hoc deſtinare, aut ſemper tempus matutinum aut antemeridianum exſpectare.*

*Statim enim ac conveniens exiſtimatur, exhiberi poteſt, quamprimum ægrotus Medici auxilium expetit.*

alvum ejiciebant, & alvi fluxus minuebatur: inteſtina enim tunc nondum infecta eſſe, hoc indicabatur, & æger intra paucos dies a fluxu liberatus convaleſcebat.

## §. XXVII.

Ubi vero *poſt ejus uſum alvi fluxus* non ſolummodo non imminuebatur, ſed potius *augebatur*, & vires deficiebant, hoc pro malo indicio ſemper habendum erat; indicabat enim putreſcentiam & colliquationem humorum jam ſuperaviſſe ægrotum, & inteſtina infecta ſemper magis relaxari, quam corroborationem aut adſtrictionem admittere, & tunc eventus plerumque ſolebat eſſe lethalis.

## §. XXVIII.

Nec hærebam in *Dyſenteria*, quam *ſanguineam* fuiſſe dixeris, æque ac *in bilioſa*, idem adhibere remedium, ſanguinis enim excretionem pari effectu diminuebat, ac bilioſum excrementorum fluxum, adferebatque plurimorum ſymptomatum remiſſionem; cujus effectus rationem ex præcedentibus facile colligere licet.

## §. XXIX.

Præmiſſa itaque radice Ipecacuanha, ſi alvi fluxus pergebat, porro *ad bilem per alvum evacuantia* & ſimul *corrigentia* deſcendi.

Huic duplici ſcopo optime nobis ſatisfecit *Rhabarbarum*, ab aliis *anima hepatis* dictum. Hinc ſtatim poſt Ipecacuanhæ uſum, & ſæpe urgente neceſſitate, poſtquam duodecim tantum horæ inter prioris uſum interceſſerunt, hoc remedium adhibui.

## §. XXX.

Tamen hic una monendus eſt Lector, me non in omnibus ægris curam incepiſſe ab uſu *Ipecacuanhæ*; ſed etiam in nonnullis, ubi emeticum hoc ſupervacaneum duxi, aut ubi morbus jam eo invaluerat, ut cum ſpe effectus boni exhiberi non potuisſet, *initium* feciſſe a *Rhabarbaro*; quæ adplicatio diverſa, pro ratione ſubjectorum, omnino a judicio Medici pendet.

## §. XXXI.

Iterum vero hic inter ſe diſſident Medici, num in *Rhabarbaro* lateat *virtus* aliqua *ſpecifica contra Dyſenteriam* nec ne?

Sunt, qui de hac radice eadem ſentiunt, quæ

quæ de *Ipecacuanha* ſupra monuimus, nimirum, nullam illi adſcribunt facultatem ſpecificam, ideo tantummodo præſtare eam reliquis purgantibus dicunt, quatenus *ſimul adſtringit.*

Verum enim vero, uti certum eſt, in emeticis nullum nobis ſuppetere, quod tam commode & tuto operetur, & quod peracta operatione partes ſimul iterum corroboret, quam *Ipecacuanham*;

Ita etiam de *purgantibus* verum, nullum nobis datum eſſe, quod utraque hac facultate, purgante pariter & corroborante, vel ſi mavis, adſtringente, præditum ſit, quam hanc ipſam radicem orientalem *Rhabarbari*, ut hoc remedium, etiam hoc ſolo nomine, omnino ſelectiſſimum omnium in Dyſenteria conſtituat purgans ſeu evacuans, nec præſtantius ac tutius in rerum natura ſit.

## §. XXXII.

Sed ego plura addo, atque adfirmo, *Rheo* ineſſe omnino aliquam *virtutem ſpecificam*, non quidem, ut alii volunt, in genere, in ſanandis omnibus Dyſenteriis & Diarrhœis, cum vel ſine ſanguine, ſed ſpeciatim in *Diarrhœis* & *Dyſenteriis aliisque adfectibus bilioſis*, in quibus ſuas vires efficaciter exſerit.

In

In *Dyſenteriis caſtrenſibus*, quarum etiam cauſa bilis vitiata habetur, illius ſingularem utilitatem Medici caſtrenſes jam pridem agnoverunt, & illud omnibus aliis laxantibus antetulerunt:

In

---

(*f*) *Dum de* Dyſenteria Caſtrenſi *hic mentio fit, brevem ejus hiſtoriam, ex aliis Auctoribus deſcriptam, adnectere non inutile duco.* „ *Eſt illa nimirum frequens, cruen-* „ *ta ſummeque dolens alvi dejectio, modo* „ *cum fecibus alvinis, modo cum materia* „ *mucoſa, vel prorſus purulenta conjuncta,* „ *& aliis diris ſymptomatibus complicata.* „ *Nullam hic morbus reſpicit ætatem, mul-* „ *tosque e medio tollit mortales, nec unquam* „ *contagio caret. Inchoat utplurimum men-* „ *ſe Auguſto, & durat per duos ſequentes* „ *menſes, prout nimirum citius aut ſerius* „ *fervidiores dies frigidiores noctes exci-* „ *piunt. Primariam ejus cauſam in variis* „ *aëris viciſſitudinibus, & ad duo extrema* „ *vergentibus mutationibus, autumno pro-* „ *priis, conſtituunt, ad quæ perverſam quo-* „ *que militum vivendi rationem multum* „ *conferre, tandemque frigoris acceſſionem* „ *hujus miasmatis vim infringere atque* „ *coërcere Medici caſtrenſes dicunt. In hoc*

„ *mor-*

In *Noſtra Dyſenteria* tam ſingulares plane effectus ejus fuerunt, ut ſine *Rheo* conatus noſtri admodum manci fuiſſent, vel ſaltem eodem omnino *carere non potuiſſemus.*

## §. XXXIII.

Nam quoniam non omnes ægri in tempore conſilium petebant, ut Ipecacuanha ſecure & cum ſucceſſu potuiſſet adhiberi, ſed ſæpius tunc demum Medicum arceſſebant, cum malum jam exacerbatum eſſet, & interdum ad ſummum malignitatis gradum perveniſſet, nullo alio remedio *purgante*, quam *ſolo Rheo* uti licebat, idque quocunque morbi tempore, tam in ſtatu, & in declinatione, quam ſub ejus initium, pa-

---

„ *morbo bilis corruptionem accuſant, eum-*
„ *que confirmatum, curatu difficilem, imo*
„ *impoſſibilem declarant.*"

*In curatione ſuadent remedia, quæ acrimoniam, in primis viis & maſſa ſanguinea hærentem, & fermenteſcentem evacuare, corrigere, obtundere, involvere & leniter abſtergere, laxata inteſtina corroborare, & tandem ulcerata & quaſi corroſa eadam inteſtina conſolidare valeant.*

pari cum fiducia, præſertim in ſubjectis ſenſibilioribus, gravidis, infantibus, &c. ut & in ſemicorruptis, in flaccidis &c.

Quo ſolo, quod illi inſit facultas ſpecifica, abunde oſtenditur.

## §. XXXIV.

Eſt vero ejus virtus, non ſolummodo ſaburram bilioſam involvere, abſtergere & leniter eliminare, ſed & ſimul ejus acrimoniam potenter infringere, corrigere ac obtundere.

Præterea Medici *Rheo* quoque *vim anodynam* & *ſedativam* attribuunt, quam etiam ſenſibiliter præſtat, & ſimul blanda tonica conſtrictione inteſtina roborat; quæ omnia in quocumque alio ſimplici purgante fruſtra quæras, ut hinc *ſpecifici* nomen optime tueatur. (*g*)

## §. XXXV.

Hoc autem modo exhibebatur *Rheum*.

Qui-

---

(g) *In* Rhabarbaro *adhuc illud peculiare eſt, quod* urina *illorum, qui eo utuntur, colore flavo tingatur, certo indicio, Rhabarbarum etiam per has vias purgare corpus.*

Quidam hanc radicem *curative* adhibebant ſtatim incipiente morbo, & quidem in forma *pulveris*, vel *ſolam*, vel *admixto nitro.*

Alii priorem, alii poſteriorem formulam reliquis præferebant. Illi, ut etiam *ratione ponderis* alvum citius compeſceret; Hi, ut materiam bilioſam ſimul corrigeret.

Sed ego *pulvere* rarius, & non niſi certis circumſtantiis, ubi nimirum malum adhuc dubium, aut in ſuo principio, aut minus periculoſum eſſet, uſus ſum, illumque ut plurimum ſine ullo additamento ſufficere juſſi. (*h*)

## §. XXXVI.

Ejus autem loco in uſum adhibui *animam* ſeu *Tincturam Rhei*, ſecundum deſcriptionem Rolfinci, ex *Rhei* uncia ſemis, *ſalis Tartari* drachma una, & *aqua Cichorei*, vel alia, ſi placet, aqua deſtillata, ex. gr. Menthæ &c. unciis quinque vel ſex paratam.

Non

---

(*h*) *Sunt tamen & alii*, qui Rhabarbaro cum radice Ipecacuanhæ permixto, *proſpero cum ſucceſſu ſe uſos fuiſſe, adfirmant vid.* Commerc. litter. Norimb. *Anni* 1741. *pag.* 133.

Non vero in adultis guttatim, ut quidam præcipiunt, hauriendam hanc Tincturam dedi, ſed *dimidium*, aut *cochleare integrum* ſingulis quatuor aut ſex horis, prout circumſtantiarum aut ſubjectorum conditio poſtulabat.

Et hoc *non vulgare levamen* ægris attulit.

§. XXXVII.

Nam cum in noſtra lue magna copia corruptæ bilis adeſſet, paucæ guttæ nil proficere valebant. Vehementiæ mali *ſufficiens quantitas medicamenti* opponenda erat.

Sub hac vero formula Rheum non ſolummodo tanta quantitate commode propinari potuit, quanta pro *ſuperando malo expoſcebatur*, id quod alia methodo vix fieri licebat.

Sed & hæc formula convenientiſſima eſt illis, qui facile nauſeant medicamenta, illaque difficultas recipiendi ægris multum minuitur.

Hoc pacto *multas menſuras* hujus *Tincturæ* feliciſſimo cum ſucceſſu abſumſimus.

§. XXXVIII.

Jam forte aliquis cogitaret, ſi ſtatim ab initio mali *Tinctura Rhei* cochleatim, & qui-

dem terve quaterve de die, propinetur, & *tanta quantitate* per aliquot dies in uno ſubjecto uſurpetur, fluxum augendum & ægros debilitandos fuiſſe.

Sed plane contrarium accidit, *fluxus* potius ſub *Tincturæ uſu ſenſim imminutus* eſt, *dolores ſedati* & ægri commode ſanati ſunt; ſi vero non ubique ſperatum & infallibilem ſanitatis effectum habuit, id quod in ſtatu ægri jam deſperato impoſſibile eſt, ſane nunquam malum exhibuit;

Propemodum omnes, quibus illa ex effectu & fama innotuit, eam domi paratam habere cupiebant, ut auxilium & ſolatium præſens. (*i*)

§. XXXIX.

---

(*i*) *Loco Rhabarbari Orientalis alii tanquam ſpecificum antidyſentericum laudant* Rhabarbarum Monachorum, *a nonnullis* Rhabarbarum noſtrum *vocatum.*

*Rhabarbarum hoc ad vires Rhabarbari veri aliquo modo accedere dicunt, dum hoc æque purgat, & virtute ſua adſtringente, quam relinquit, ventriculum & inteſtina corroborat. Hancque ob cauſam hoc æque præſtans exiſtimant, atque illud.*

*Medici etiam Indici memoriæ produnt, ipſos utraque hac radice promiſcue uti, quin &*

## §. XXXIX.

Fuerunt tamen nonnulli, qui ſcrupulum contra ejus uſum movebant, quod cum *ſale Tartari* præparata erat; idque non ſine aliqua ratione, cum & ego ipſe *ſalium* uſum

---

*& Celeberr. Medicus* Dan. Ludovici, *ſua ætate in ſua pharmacia jam contenderat*, Rhabarbarum Monachorum, Rhabarbarum Orientale æquiparare, *idemque utroque effici poſſe; hinc & ultro libere fatetur, ſe per omnem vitam vix unciam Rhabarbari veri, ac tunc pretioſi præſcripſiſſe, & tamen ægrotantes feliciter perſanaſſe. Quod exemplum Celeb.* Storchius *quoque imitatus eſt. Nam cum antea ſemper adhibuiſſet Rhabarbarum electum, ejus adeo pretium auctum eſt, ut cogeretur uti Rhabarbaro Monachorum.*

*Quæ obſervatio illis utilis eſſe poteſt, quibus ſolitum Rhabarbarum nimis pretioſum eſt: inprimis vero iis, qui verum conſequi nequeunt.*

*Porro alii Rhabarbari loco laudant radicem* Mechoacannæ; *eamque* Rhabarbarum album *vocare non dubitarunt, ob æquales fere virtutes, quas hæ radices inter ſe poſſident.*

uſum in hoc adfectu damnarim, & inprimis *alcalia* hic noxia videantur.

Sed ſimul & una omnibus meis ægris *acidorum* liberalem uſum, contra aliorum ſententiam, quam maxime injunxi, prout inferius liquebit, & ſic noxæ illius metus nullus, vel non adeo magnus erat; ita ut, qui initio contra loquebantur, per experientiam contrariam de bono illius effectu convincerentur, & poſtea eandem ipſi adhiberent.

## §. XL.

Poterat tamen & ſal Tartari omitti; *infuſum Rhei ſimplex aquoſum*, nullo addito ſale, parem fere edebat effectum, & ſi quis erat, qui hæſitabat in uſu illius Tincturæ, illi licebat uti hoc ſimplici infuſo, & ſic omni ſollicitudini & objectionibus anſa auferebatur.

Interea tamen hæc infuſio ſimplex *non omnes ex Rheo vires* adeo potenter extrahit, nec uſui domeſtico adeo apta, quin corruptioni promptius obnoxia, & ob hanc ſolam rationem Tincturæ poſtponenda erat.

*Sal* etiam *Tartari vires Rhei purgatrices* aliquo modo infringendo effecit, ut Tinctura corrigendi ſcopo tutius & majori copia, quam infuſum, propinari potuerit.

## §. XLI.

Poſtquam, quantum fieri potuit, indicationibus therapeuticis, quæ evacuationem ſpectant, proſpectum, & ſupra dictæ radices, Americana & Aſiatica, ſeu *Ipecacuanhæ* & *Rhabarbari*, vel una, vel altera, vel utraque, prout neceſſitas exigebat, præmiſſæ erant, nec his malum cedere volebat, inſuper ea remedia a me in auxilium vocata ſunt, quæ *acrimoniam bilioſam* ulterius *infringerent*, *corrigerent*, & ſimul *læſionem* ab illa ſaburra inductam, *tonumque inteſtinorum* debilitatum reſtituerent.

## §. XLII.

In his primum erat, quo utebar, antidysentericum aliquod novum, nimirum *cortex* quidam exoticus, pariter ex America allatus, hactenus parum notus, & antea hic loci a nemine adhibitus.

Illum vero *Amſtelodami* cognitum, & a quibusdam Medicis jam cum ſucceſſu adhibitum fuiſſe, poſtea per literas certior factus ſum.

Nomen eſt *Simaruba*, ejusque prima mentio facta eſt in *Hiſtoria & Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis* Anni 1729. & poſtea in *Commercio Littera-*

*rario Norimbergenſi* Anni 1731. 1732. & 1733. ubi variis experimentis firmata tanquam utilis in Dyſenteria, valde commendatur in forma decocti. Cumque allegati libri non in omnium manibus ſint, ſupervacaneum haud fore credidi, ſi prius ex iis huc transferrem, quod de illo cortice prædicatur, quantum ad uſum practicum ſpectat;

Dein ſubjungam, quantum ille ſe nobis experientia probarit.

## §. XLIII.

Habet autem *Commercium Litterar. Anni* 1732. *pag.* 201. *& ſeqq.* hanc ſummam e Diſſertatione quadam deſcriptam, prout illa *Hiſtoriæ & Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis Anni* 1729. inſerta legitur, & cujus hic erat titulus: *Disquiſitio de ſpecifico* quodam *contra Dyſenteriam*, nomine *Maceris* a veteribus indicato, cui forſan *cortex* cujusdam arboris Cayennæ, *Simaruba* dictus, comparari & ſubſtitui poteſt, Auctore *M. de Juſſieu:*

" Graſſantibus Anno 1718. fluxibus dys-
" entericis, omnem vel probatiſſimarum
" alias medicinarum efficaciam reſpuenti-
" bus, tanquam *ultimum remedium*, quo
" mali levamen tentaret Auctor Cel. hunc
" corticem in auxilium vocavit, atque in-

" tel-

" tellexit, nullum omnium adhibitorum
" tam prompte, quam hoc ipſum remedium
" ſucceſſiſſe.

" Atque hæc una ejus perſpecta virtus
" Cl. Auctorem inſtigavit, ut & alterius,
" qua contra *fluxus ſanguinis*, *feminis* adeo
" familiares, pollere dicebatur, virtutis ten-
" tamina ſumeret, quum præſertim eandem
" in utroque morbo cauſam ſubeſſe depre-
" henderet; ſed neque hic fefellerat even-
" tus.

" Porro de hoc cortice refert, quod ad
" illum *tiliæ* quoad externa & interna,
" quam proxime accedat, eandemque ha-
" beat filamentoſam qualitatem, quæ ducti-
" lem ipſum & difficilem fractu reddit,
" quod idem manducatus guſtum largia-
" tur ſubamarum, admodum tolerabilem,
" quem cum aqua, cui incoctus eſt, com-
" municat. Deinde animadverſum a ſe do-
" cet, aquam, hoc cortice injecto ebul-
" lientem, albam evadere, mucoſam, velut
" lac; eandem inſignius in vaſe, quo con-
" tinetur, aſcendere, quam decoctiones
" ſimplicium ordinarias, ab igne autem re-
" motam, colorem nanciſci rubicundum,
" qualis eſt cereviſiæ ſecundariæ.

" Porro conſtanti per quindecim annos
" experientia edoctus declarat, *corticis hu-*
" *jus drachmas duas, in aquæ heminis tri-*

 " *bus*

" *bus ad residuum quadrantis* decoctas, tri-
" bus sufficere cyathis, quæ ordinaria est
" hujus remedii dosis. Lubentius autem se
" propinare monet *simplex* hoc *decoctum*,
" quam pulverem corticis & ligni ejus,
" quum melioris illud sibi semper inventum
" sit effectus, neque haustu ingratum.

" Si qui tamen maluerint *Simarubam pul-*
" *verisatam*, illi corticem hunc aut lignum,
" eum fere in modum, quo Nicotianam ra-
" dere, atque ad *duodecim* aut *viginti grana*,
" pilularum forma, aut in jusculo quodam
" assumere poterunt, quæ utendi ratio du-
" bio procul illi Medicorum Indorum, pul-
" verem hunc in pusillo lactis acidi præscri-
" bentium, cujus *Acosta* meminit, præfer-
" ri debet.

" Tandem *Simarubæ virtutes* declaratu-
" rus, perpetuum & constantem ejus fuis-
" se adseverat effectum in *Dysenteriis perti-*
" *nacibus* & *glutinosis*, *fluxibus biliosis* &
" *sanguinolentis*, qui fere omnes, tertio aut
" sexto cyatho hausto, gradum stiterunt,
" sine ullo dolore, aut evacuatione sursum
" deorsumve insecuta: *Urina* unice majori
" copia redditur, magisque colorata, atque
" in nonnullis subjectis abundantes super-
" veniunt *sudores*.

" Qui hoc *Simarubæ* decoctum assumse-
" re, ad unum fere omnes retulisse scribit,
" ipsos

" ipſos ex cyathi ſecundi hauſtu *motum*
" *quendam obtuſum* internum per totum cor-
" pus ſenſiſſe : id quod adpellabant *certa-*
" *men cum morbo*, haud abſimile illi, quem
" *Quinquina* edit, ſiquidem opportune da-
" ta ſubito reprimit inſultus febriles.

" Et quanquam viderit Cl. Auctor ho-
" rum ægrotorum nonnullos, qui maxime
" extenuati ac nauſeantes ſecunda demum
" ab uſu remedii nocte ſerenitatem rece-
" perint;

" Inventos tamen etiam eſſe fatetur, qui
" aut ex diætæ erroribus, aut morbi reli-
" quiis aliquot diebus poſt *reciderunt*, a
" quibus nihilo minus, repetito hujus po-
" tionis per tres continuos dies uſu, malum
" tandem profligatum eſt.

" Hiſce cautelam de Simarubæ tempeſti-
" va adhibitione ſubnectit, qua *periculoſum*,
" certe *inutilem ejus uſum* declarat, ubi in
" fluxibus ſtomachicis, ſanguineis & dys-
" entericis, qui *primarum ante viarum eva-*
" *cuationem* poſtulant, quam *viſcera confir-*
" *mare* liceat, idem commendetur.

" Unde prudentiæ eſſe concludit, *ante*
" *Simarubæ uſum ad remedia generalia re-*
" *currere*, imo & doſin ejus ſtatui morbi
" accommodare.

" Atque ſic denique ad *ipſam naturam*
" *& indolem Simarubæ* explanandam pro-

 " gres-

" gressus, materiam salinam acrem particu-
" lis oleosis & balsamicis involutam in sub-
" stantiam ejus ingredi demonstrat.

" Quibus omnibus coronidis loco quæ-
" dam adjicit de utilitate ex hactenus dictis
" capienda, quum non solum cognitio spe-
" cifici in curandis Dysenteriis, nulli si-
" ve Ipecacuanhæ, sive aliorum remedio-
" rum usui obtemperantibus, inde manife-
" sto comperiatur, sed etiam quam temere
" usualium plantarum catalogo eximendæ
" sint, quarum virtutes non agnoscuntur."

Et pauca hæc pro scopo nostro suffi-ciant: qui plura de *cortice* hoc *Guijaneo* scire cupit, adeat *Historias & Commentarios Academiæ Regiæ Scientiarum Parisiensis Anni* 1729. vel supra citatum *Commercium Litterarium Norimbergense Anni* 1732. *pag.* 387. seqq. ubi stupenda adhuc de hoc cortice recensentur ex itinere Equitis *de Marchais*, quod in Gujaneam, vicinasque insulas & Cajennam suscepit, vel schediasma ipsum *Domini Auctoris*, aut id, quod ex hoc schediasmate Celeberr. *Werlhof* in suis *observationibus de febribus* pag. 100. seqq. excerpsit.

## §. XLIV.

Nunc quid ego de *hoc cortice* in nostro

*mor-*

*morbo Epidemico-contagioſo* expertus ſim, commemorabo.

Poſtquam ſupra relata evacuantia ante adhibueram, nec tamen Dyſenteria ceſſare volebat, corticis *Simarubæ drachmas duas* in ſufficiente quantitate aquæ communis ad remanentiam unciarum octo decoctas, omni trihorio vel quadrihorio unciam unam vel duas, pro ratione circumſtantiarum, ſumendas præſcripſi, ejuſque uſum per aliquot dies continuos, ſeu ad plenam perſanationem continuavi.

Fateor me ex hoc decocto *minime vulgarem* percepiſſe *utilitatem* in morbo curabili.

Præſertim notavi ſingularem & præſtantiorem ejus effectum in *fluxu ſanguinis* & *materiæ cruentæ*, utpote quem citius compeſcebat, quam excretiones bilioſas;

Quod etiam cum experimento Pariſienſi convenit, ubi quoque cum ſucceſſu adplicabatur contra fluxus ſanguinis chronicos, feminis adeo familiares.

## §. XLV.

*Effectus* vero erat admodum *lenis* & propemodum *inſenſibilis*, nec potui proprie animadvertere, quod *urina* majori copia redderetur, aut in nonnullis ſubjectis abundantes ſupervenerint *ſudores*, nec *motum*

*il-*

*illum obtusum internum* per totum corpus, quem ægri, uti relatum legimus, *certamen cum morbo* vocitarunt, in nostris ægris observavi.

Ex diminutione tantummodo morbi, dum Dysenteria *sub illius usu simplici* quotidie leniter decrescebat, & symptomata paulatim cessabant, concludere debui, corticem hunc amaritie sua non solummodo esse bonum *corrigens* & *temperans*, sed & ad *firmanda* viscera tutissimum *tonico-roborans* ac sedativum, & ideo reliquis anteferendum.

Cum enim omnia fortiora & sic dicta positive adstringentia noxia essent, sic contra hic cortex sine ullo scrupulo & periculo adhiberi poterat, ut adfirmare queam, illum corticem, ubicumque ejus usus sperato successu caruit, nullam noxam attulisse.

## §. XLVI.

Unum in ejus usu *incommodum* erat, sed cui in omnibus *Exoticis* obnoxii sumus;

Eundem nimirum non nisi experientia cognoscere licebat, num *verus* vel *suppositititius* esset cortex, qui mihi a Pharmacopolis suppeditabatur, & ubi genuino cortice potiri contigit, dubium erat, num *recens* an *vetustus* esset; sic ubi laudatum suum effectum non

non adeo efficaciter præſtitit, ignorabatur, cujus culpa ſit, num nimirum vera corticis ſpecies fuerit, an vero vetuſtate primarias ſuas vires amiſerit?

Hoc me incommodum non parum ſollicitum habuit; & hanc etiam cauſam exſtitiſſe arbitror, cur ſanatio apud nos lentius procurata ſit, quam Pariſiis, quanquam hoc mihi ſolatio fuit, quod cura per eum corticem felicius & minori cum periculo fiebat, quam per alia uſualia, ſicque ſatis feliciter adhuc ſuccedebat experimentum.

## §. XLVII.

Cum vero hoc remedium etiam cum aliis Medicis communicarem, ac e diverſis Pharmacopoliis exteris idem adferri curaretur, accidit, ut plures corticis ſpecies transmitterentur, illæque hoc pacto ita *multiplicarentur*, ut cuivis ſua ſpecies ſibi optima, & ad data ſigna propius accedere videretur.

Hoc autem ipſo ſtatim *magna confuſio* nata eſt, nec ordine experimenta ſemper inſtituebantur, ut de vero diverſarum illarum ſpecierum effectu judicium ferre difficile eſſet;

Inprimis, cum experimentum non ſtatim ſuccederet, extemplo ad alia confugerent,

at-

atque Simarubæ modo *corticem Peruvianum*, modo *corticem Tamariſc. Fraxin. Granat.* aliaque adderent, vel ſubſtituerent, non meliore eventu.

Talis etiam *varietas pretii* erat, ut, cum initio pro una libra *viginti* florenos Hollandicos ſolvere mihi neceſſe eſſet, poſtea libram pro *duodecim* florenis acciperem: alii dicebant ſibi libram *octo*, imo pro *tribus* & *duobus* florenis emendam obveniſſe.

Quæ omnia non levem perturbationem adferebant, ita ut alii hoc noſtro exemplo diſcere queant, quam difficile ſit, exotica nondum ubique ſatis cognita, in uſum practicum adhibere.

## §. XLVIII.

Inprimis cum poſtea, ceſſante jam morbo, quo certior mea opinio fieret, & vera corticis ſpecies dignoſceretur, eundem etiam *Lipſia* mihi adportari curaverim, denuo autem aliam inde ſpeciem nactus ſum, minime cum Hollandicis convenientem.

Imo eundem inde ab ipſa *Lutetia* per amicum, tunc temporis ibidem commorantem, conquiſivi. Hic coëmtus erat in Pharmacopolio regio.

Sed ecce, cum omnes reliquæ ſpecies in aliquo tertio ſibi ſimiles eſſent, hic Pariſinus

nus ſolus ab omnibus reliquis ſpeciebus adeo diverſus fuit & contrarius, ut vix unum characterem geſtaret, qui datæ deſcriptioni reſponderet, ita ut, a quo loco optimum expectabam, inde peſſimum genus adeptus ſim, ac præterea pro duabus unciis corticis ſex florenos Hollandicos [*douze livres*] ſolvere debuerim. (*k*)

§. XLIX.

---

(*k*) *Idem incommodum etiam alii experti ſunt, qui hunc corticem Pariſiis arceſſiverant, eumque ſincerum non eſſe deprehenderant, prout amici per litteras me certiorem fecere.*

Dom. Leſneu, *Medicus Rotterodamenſis, jam antea gloriatus erat, ſe ſolum poſſidere verum & ſincerum corticem Simarubæ. Ideoque multa cum induſtria, ope amicorum, allaboravi, ut aliquam ejus partem nanciſcerer. At irritus prior ille fuit conatus, omni licet ambitione inſtitutus, ut ſaltem binas drachmas concederet; poſſeſſore declarante, ſe nemini ne minimum quidem impertiturum. Ad quæ amicus meus addebat, ſe pro certo in mei conſolationem poſſe adfirmare, ſe nunquam audiendo intellexiſſe,* a D. Leſneu *hunc corticem ad ſanationes in his terris fuiſſe adhibitum; verum enim vero, eundem*

*in*

## §. XLIX.

Interea ego *illam ſpeciem retinebam in uſu, quam initio nactus* eram Amſtelodamo, *a*

---

*in Americanis plagis frequenter in uſum vocari*, Leſneumque *corticem iſtum ſæpe Chirurgis, in Americam navigantibus, vendere, & quidem libram centum florenis.*

*Hoc conſtat, eundem* Leſneum *hunc corticem ſemper caro vendidiſſe, & in his terris pro libra una ducentos poſtulaſſe florenos Hollandicos, nec niſi exigua quantitate voluiſſe vendere; uti amicorum litteris nuntiatum fuit.*

*Tandem Celeberr.* du Buiſſon *aſſiduis precibus, per virum* Leſneo *familiariſſimum quartam libræ partem obtinuit, ſolutis pro illa novem florenis Hollandicis. Deinde memoratus* du Buiſſon *hujus Leſneuani corticis portionem ſpeciminis loco mihi ſubmiſit; quem accurate cum examinaſſem, cum ſincera Simaruba convenire deprehendi.*

*Hic vero notandum, externam ſpeciem & colorem hujus corticis non ſemper eandem eſſe, ſed interdum differre, pro ut cortex a majoribus aut minoribus truncis ramiſve abſciſſus eſt, ac proinde id maxime attendendum,*

*a tribus* diverſis Pharmacopolis, cujus venditores, quantum ſcio, nil inter ſe commercii habebant, & quorum Pharmacopolarum unus ſpeciatim adfirmabat, ſe veram ſpe-

---

*dum, ut ſapore & guſtu exploretur, quo facto, ab errore tuti erimus. Ille tamen optimus videtur habendus, qui a ramis juſtæ & modicæ craſſitudinis auſertur, utpote majore & meliore ſuccorum copia præſtans, quam tenelli & exſucci ramuli.*

*Celeberr.* du Buiſſon *hunc corticem ſequentibus verbis deſcribit: „cortices hi communiter quinque vel ſex pollices longi, & „ duos tresve digitos lati ſunt; craſſitudine „ vero æquant nummum Philippicum, aut „ excedunt in parte latiore. Colore proxime „ accedunt ad corticem Winteranum. Intus „ ſunt plani lævesque, exterius non nihil „ ſerrati, ex plurimis fibris conſtantes. Cæ„ terum in reliquis ſupra memoratæ deſcri„ ptioni ſimiles."*

*Idem hic cortex etiam per quosdam venditus eſt forma* pulveris, *tanquam arcanum* contra Dyſenteriam. *At hac via certi non eſſe poſſumus, utrum ſinceri generis ſit, nec ne? ut taceam, relatum mihi eſſe, hos pulveres facile nauſeam & vomitum excitaſſe.*

ſpeciem, quæ Amſtelodami a quibusdam Medicis uſurpata fuiſſet, bene noſſe, eandemque miſiſſe; deinde in hac ſententia me confirmavit amicus, qui veram ſpeciem ipſe viderat, meamque, poſtquam oculis perluſtraverat, etiam inter reliquas pro vera habebat.

Hanc vero corticis ſpeciem fuiſſe probam & genuinam, non ſolum ex eo patet, quod ad ſignificatum characterem quam proxime accedebat, ſed & adparet e bono effectu, quem apud nos exſeruit;

Nam quamquam is miraculi inſtar non fuit, quantus Pariſiis exſtitiſſe memoriæ proditum eſt, meminiſſe tamen par eſt, apud nos plane aliam ſpeciem Dyſenteriæ obtinuiſſe; forte etiam hic cortex non adeo recens fuit, cum veroſimile videatur, eum, tanquam parum notum, parumque in uſum vocatum, non admodum frequenter nec recentem mercatoribus ſubmitti, unde minor ejus effectus.

§. L.

Initio *decoctum* ejus ſolum exhibui, quod non neceſſarium videbatur alia adjungere, niſi quod interdum *ſyrupum Papaveris rhæados* vel *Papaveris albi*, guſtum fallendi vel ſedativo ſcopo, addiderim.

Ita

Ita plerumque curam nostri morbi satis celeriter tutoque absolvi.

## §. LI.

Deprehendi autem non solummodo *decoctum commodius* ad propinandum, sed etiam melius & *efficacius* ipso *pulvere corticis*, qui ventriculo gravis & molestus esse videbatur, nec fluxum ita commode compescebat; hinc hujus usum plane seposui.

## §. LII.

Si vero animadvertebam, *decoctum non satis præstare*, quæ desiderabantur, illud pro ratione indicantium & statu subjecti adfecti *variis additamentis* efficacius reddidi; Inprimis *Tincturam Rhei* adjunxi, ad ulterius corrigendum & simul educendum, quod forte de materia peccante in corpore esset residuum, *qui modus utendi simul Tinctura Rhei, cum morbus jam desinere incipiebat*, optimum successum habuit, siquidem ita agendo Dysenteria via tutissima & sine ullo discrimine profligabatur.

## §. LIII.

Cum vero ægri offerebantur, in quibus

hæc omnia fruſtra aut ſine optato effectu adplicabantur; in quibus nimirum *tonus inteſtinorum* adeo debilis & flaccidus evaſerat, ut fluxus potius paſſivus videretur, tandem ad uſum *magis roborantium* aut *fortius adſtringentium* tranſii.

Ex eorum autem numero non alia adſcivi in auxilium, quam *corticem Caſcarillæ* & *ſuccum Catechu.*

## §. LIV.

Primo loco ſemper exhibui *Caſcarillæ corticem*, eumque in ſubſtantia vel pulvere, ſed plerumque in *Tinctura* cum ſuperiore decocto *Simarubæ* miſtum propinavi, quo caſu decoctum illud quaſi pro vehiculo *mixturæ* inſerviebat.

Non raro etiam dedi ſolummodo *Tincturam Rhei* & *Caſcarillæ anatica portione* ſine decocto, prout ſtatus & conditio ægri ea poſcebant.

## §. LV.

Jam forte quiſpiam interrogaret, ſi *cortex Simarubæ* laudabili effectu fuit, quare ergo *Caſcarillam* adhibuerim?

Ad ea reſpondeo: corticem *Simarubam* omnino meliorem & præſtantiorem effectum

ctum præstitisse, ubi fluxus cruentus adfuit, sed si, hoc cessante, tamen dejectiones liquidæ feculentæ, mucosæ, perdurabant, *Cascarillam decocto Simarubæ* simul admiscui, quo facto dejectiones illæ commodius minuebantur, adeo ut hi duo cortices pro ratione indicantium optime quadrarent, & sibi mutuam opem ferrent, ut cura citius & tutius absolveretur.

Et re vera *cortex Cascarillæ* optime se gessit, non solummodo partes relaxatas roborando, sed & simul motus febriles, doloresque intestinorum leniendo ac sedando.

## §. LVI.

Hoc vero cortice quoque nihil proficiente, ad fortius adstringens, nempe *succum Catechu*, adscendi, illumque reliquis supra nominatis formulis, vel in *Tinctura* vel in *pulvere* adjunxi. Et fateor virtutem ejus adstringentem non solum tutissimam fuisse, sed &, ubi illa effectu caruit, ibi ne reliqua adstringentia quidquam opis attulisse.

## §. LVII.

Et hæc sufficiant quoad curam & methodum generalem, quam in ægris nostris observavimus.

Jam quoque de *Symptomatibus* ſermo inſtituendus erit, quæ hunc morbum in quibusdam gravius decumbentibus comitabantur; non enim omnes, uti ſupra dictum eſt, æque graviter ægrotabant.

## §. LVIII.

Horum prima fuerunt *terribilia tormina* & *dolores inteſtinorum diuturni*, qui ægros excruciabant, & quaſi exedebant.

His ut occurrerem, & *materiam acrem corroſivam* in inteſtinis hærentem, ejusque ſpicula venenoſa involverem, obtunderem, vel delinirem, nil melius excogitare poteram, quam *blanda oleoſa*, *pingvia*, *gelatinoſa*, *gummoſa*, aliaque, quæ ad *Arſenici* vim infringendam maxime commendantur. Eum in finem *interne* inprimis adhibui *oleum Amygdalarum dulcium*, *oleum Olivarum*, *oleum Lini*, &c. magna quantitate, ad aliquod uncias ſingulis vicibus, aut quantum ægri per diem haurire poterant. (*l*)

In-

(*l*) *Celeberr.* Heiſterus *commendat modo dicta olea vel per ſe quodlibet*, *vel ſaccharo remixtum*, *ſed* larga doſi, *ſingula ſcilicet vice ad unciam unam vel duas*, *& quidem aliquoties in*

Insuper & *Gummi Arabicum* & *Tragacantha* in aqua solutum, vel cum decocto *Simarubæ* remixtum, præter ea, quæ infra recensebimus, in auxilium vocavi; & hæc laudabili effectu destituta non erant.

## §. LIX.

In eundem finem *externe* optimum etiam effectum sumus experti a *clysteribus oleosis*. Illos vero præparari jussimus vel ad imitationem Sydenhami, ex *oleo Lini* & *Lactis vaccini* partibus anaticis, addita *Theriacæ* certa quantitate, pro ratione ætatis & circumstantiarum proportionata; Vel ex *solo* seu *puro puto* & *solummodo tepefacto oleo Lini*: toties adplicandos illos suasimus, quotiescunque necesse erat. (*m*)

Utrius-

*in die data, quia parca dosis parum proficit*; *quæ olea simul acrimoniam rodentem egregie temperant, partesque erosas demulcent, ac rursus sanant, ita ut multi e vulgo solis hisce oleis & saccharo ab hoc gravi morbo se liberent. vid.* Compend. Med. Pract. *pag.* 282.

*De Dysenteria* solo oleo Lini *curata jam alibi legimus.*

(*m*) *Ea tamen cum cautela, ut non in*

 *ma-*

Utriusque generis clyſteres ſummo fuerunt emolumento, doloreſque & tormina mirum in modum compeſcuere.

Inprimis vero hoc loco obſervare licuit, purum *oleum Lini*, quod oleorum blandisſimum habetur, in ſedandis doloribus, præ cæteris, maxime laudabili effectu pollere.

Clyſteres vero ex ſolo lacte, aliisque parati longe minori virtute erant.

Præterea enematibus *Rhabarbari infuſum*, *Tinctura*, vel *Syrupus* ad aliquot uncias commode admiſceri poterat; omnia vero acria, ſales, adſtringentia &c. ſollicite vitanda duximus.

§. LX.

Cum vero haud pauci ex ægris neque *olea pura* ſufficiente quantitate ob nauſeam ſuc-

---

*magna copia adhibeantur, ſed parcius & repetitis vicibus.*

*In* Colica *etiam* Pictonica *clyſmata oleoſa, ex mero oleo conſtantia, modica quantitate, ut facilius retineantur, ſæpius inſtituta, mirabilem ſæpe effectum edidiſſe, imo ſanationem aliquando abſolviſſe, quando alia cujuslibet generis Medicamenta, interna æque ac externa, irrita fuerunt, pluribus teſtatur Celeberr.* Grashuys *loc. cit.*

ſuccedentem per os aſſumere poterant, neque etiam alii, inprimis e ſexu ſequiori, *clyſteribus* libenter, aut quotiescunque neceſſe erat, uti volebant; & præterea in tanto ægrorum numero fieri non poterat, ut in illis omnibus enemata adhiberentur, inprimis cum in omnibus torminum dolores non æquales eſſent, ut eorum uſus ubique æque neceſſarius exiſteret;

*Interne* oleoſorum loco, aliud plane *novum*, pauciſſimis adhuc Medicis notum, *remedium* adſcivi, nempe radicem, quæ vocatur *Salab.*

§. LXI.

Si hujus radicis *Salab* ſubtiliſſime pulveriſatæ *drachma una unciis octo aquæ calidæ* infunditur, leni calore ſuper ignem ſolvitur, ac per linteum expreſſa a paucis ſuis feculis depuratur, abit in pulcherrimam *gelatinam*, ſi ita loqui licet, *mucilaginoſam*, (*n*) De

---

(*n*) *Solerter hic obſervandum eſt, hanc radicem difficillimam eſſe ſolutu, & cautiſſime cum ea eſſe agendum, nam, niſi hæc radix ſubtiliſſimum in pulverem redigatur, aut non ſufficiens quantitas aquæ affundatur, aut etiam, niſi ignis leniſſimus, ſed fortior adhibeatur, negotium voto non reſpondebit.*

De hac ſingulis duabus, tribus, vel quatuor horis ſumatur cochleare dimidium, vel plus minuſve, prout neceſſitas exigit; hæc *acrimoniam bilioſam* commode *involvit*, *temperat*, *doloresque* leniſſimo modo *demulcet*, ac *mitigat*; illaque *partibus ſolidis fortius adhæreſcens*, arroſa *inteſtina*, tanquam *balſamo* blandiſſimo, *delinit;* hocque ipſo reſpectu aliis mucilaginoſis, gelatinoſis vel gummoſis præferenda eſt.

## §. LXII.

Hanc *mucilaginem*, *antidyſentericam* mihi dictam, omnibus meis ægris, qui ea indigere videbantur, propinavi;

Quidam ex ejus uſu tantum in doloribus & *fluxu levaminis* perceperunt, ut ſe hoc ſolo remedio valetudinem ſecundam recuperaſſe crederent.

Sed ſi qui ægri parum eo ſublevabantur, id mihi mali ominis indicium erat; nam tunc inteſtina jam adeo corroſa & exeſa erant, ut humanum conſilium fere ſuperarent.

## §. LXIII.

Haud ingrata eſt hæc *mucilago*; ſi quis vero eſt, cui ſapor ille minus arrideat, poteſt addito convenienti *Syrupo*, ex. gr. *Citri*,

*tri*, *Berber*. *Papav.* &c. pro guſtu ægrotantis temperari.

Præterea nullum damnum aut periculum ex ejus uſu metuendum eſt.

## §. LXIV.

Hujus radicis *Salab* cum nullus adhuc Medicorum, quantum quidem novimus, ſub hoc nomine in ſcriptis publicis mentionem fecerit, præter ſolum Dominum *Albert. Seba*, non ingratum Lectori laborem nos facturos eſſe arbitramur, ſi ea, quæ ille in *Theſauro* ſuo *Rerum Naturalium* de hac radice nobis refert, huc tranſcribamus, inprimis cum opus iſtud nondum integrum in lucem editum ſit, tamque magno pretio conſtet, ut non adeo facile parabile ſit.

Exhibet autem ibidem radicis ipſius iconem *Tab. LXXXIII.* cum ſequenti deſcriptione *Tom. II. pag.* 83. ſeqq.

### *Num. III.*

" *Orchis Perſica*, *ſeu Salab*, *unifolium*, *bul-*
" *boſum*, *duplex*, *flore purpureo*, *ſpecies ſa-*
" *tyrii.*

" Planta hæc ad fines Perſiæ & Chinæ
" creſcens, binos teſticulos, ſeu bulboſas,
" ob-

" oblongas & fibroſas radices, ſibi invicem
" quaſi adnatas, revera tamen ſeparatas,
" gerit; ex quibus unum duntaxat naſcitur
" folium, convolutum circa caulem, qui
" e medio coalitûs radicum porrigitur, in
" ſui apice flores emittens pulchre purpu-
" reos, ſpeciem homunculi factitii præ ſe
" ferentes, quousque explicationi ſuæ pro-
" ximi ſunt: explicati enim hancce formam
" amittunt.

" Sinenſes & Perſæ magni pendunt hanc
" radicem, cui vim *aphrodiſiacam* adſcri-
" bunt, qua conjuges ad coitus libidinem
" excitet.

" Præterea alias etiam de illa virtutes
" prædicant per experientiam adnotatas.
" Unde peregre profecturi hanc uſque ſe-
" cum portant, loco præcipui medicamen-
" ti, quo contra *quasvis caſu adortas ægri-*
" *tudines* & *languores* utuntur.

" Redigunt nimirum in pulverem, hu-
" jusque drachmam quotidie bis cum vino
" aut potu Chocolada aſſumunt.

" Nos quoque experti ſumus ſingularem
" ejus utilitatem ad *convulſiones nervorum*,
" *Epilepſias infantum* & *adultorum* atque
" *ſpasmos;* unde viribus fere ad radicem
" *Niſi*, ſeu *Ginſing*, accedit.

" Bulboſæ hæ radices valde glutinoſæ
" ſunt, & poſtquam defloruere, granulo-

" ſæ

" ſæ evadunt, at manente tamen earum
" pingui glutinoſitate, qua a corruptione
" præſervantur. Exſiccatæ lapidis duritiem
" induunt; dum gelatina ipſis inhærens
" omni prorſus fluido orbatur.

" D. *Jac. Breynius*, Plant. exot. Cent.
" I. fol. 94. &c. *Orchides* deſcribens, ex-
" hibet, quanam ratione plantæ hæ mira-
" bilibus florum ſuorum ſpeciebus vario-
" rum animantium formas referant: Ha-
" rum quædam in Tabula libri memorati
" repræſentantur.

" Radix *Satyrionis* aliquatenus ſimili vir-
" tute & efficacia pollet, qualis de *Salab*
" Perſico prædicatur. Non pauci Autores
" illius deſcripſere vires, inprimis autem
" D. *Abr. Munting* in deſcript. herbar. flor.
" bulboſ. fol. 400. *Satyrium*, Germanis
" *Stendel-wurtzel* vocatur, cujus tum &
" radicis *Orchidis* virtutem ſupra comme-
" moravimus: pulveriſatæ cum ſaccharo
" datæ, *ſpaſmo* & *convulſionibus nervorum*
" medentur: In *fluore muliebri albo* & *ſan-
" guineo præternaturali* quoque uſurpantur,
" tum & in *Epilepſiis infantum*.

" Radix tamen *Salab* Perſici, utut pa-
" rum cognita hucusque, nec uſitata, iſtis
" multum prævalet.

*Num.*

*Num. IV.*

" *Orchis*, ſeu *Salab Perſicum; Cercopitheci*
" *forma, bifolium.*

" Hæc altera *Saldb* ſpecies bina gerit fo-
" lia, e craſſo ſenſim in acutum deſinen-
" tia, tulipæ inſtar folii: Horum e medio
" brevis ſurgit, & intus cavus, caulis, duo-
" decim & ultra flores proferens; qui pu-
" ſillis, recurvis, caliculis inſidentes, fi-
" guram ſimiolarum aut cercopithecorum
" referunt, capitello quaſi nigris pilis obſi-
" to, viridem inter calicem eminente, tum
" binis quoque pedibus anticis & poſticis,
" una cum cauda piloſa, comparentibus,
" ex purpureo & cœruleo variegatis: bul-
" bi campaniformes, inverſæ tulipæ æmu-
" li, plurimas tenues, deorſum diviſas,
" radiculas, quaſi digitos emittunt: Hi
" dum defloruere, effodiuntur, depuran-
" tur, & filis alligati, radiis ſolaribus expo-
" ſiti ſiccantur, prout ſub *Num.* 5. & 6.
" oſtenditur; ſiccati ob ſubſtantiæ ſuæ glu-
" tinoſitatem pellucent.

" Eædem virtutes medicatæ his, quæ
" prioribus, ineſſe dicuntur.

### *Num. VII.*

" *Radices Salab, parvæ, ex Perſia.*

" Conſulto inter colligandum cautum " eſt, ne una aliam contingat, ſed omnes " ſeparatim ab invicem exſiſtant, ut nimi- " rum a ſitu præſerventur, & tanto melius " aperto aëre & ſole undique attactæ ſic- " centur. Figura hiſce non omnibus eſt " eadem, dum aliæ rotundæ, aliæ oblon- " gæ, aliæ rurſus anguloſæ, & magnitudi- " ne quoque diſſimiles ſunt.

" Quamvis delineationem nullam accepe- " rimus, per literas tamen nobis ſignificatum " eſt, hanc parvam ſpeciem, ſimplici quæ " bulbo conſtat, tam ratione foliorum & " florum, quam virtutum cum prius de- " ſcripta Num. 3. convenire.

### *Num. VIII.*

" *Radix Salab, Perſici, cordis figura.*

" Hujus *Salab* ſpecie, bulbum quæ ge- " rit, cordis animalis aut humani æmulum, " iconem quidem non obtinuimus; ſed " memoratum nobis eſt, bulbum radicis, " uti patet, cordis figuram præ ſe ferre, te- " nuibus, fibroſis, radiculis progerminan-

" ti-

" tibus obſitum. Frons ternis conſtat fo-
" liis, cauli adnatis, quorum medium cor-
" diforme quoque eſt, aut trifolii æmulum.
" Flores inſignes, albicantes alii, alii ru-
" bentes. Hinc planta hæc congruere vi-
" detur cum *Oxalide* Africana, quam Num.
" 9. exhibemus.

" Perſæ hanc *Salab* ſpeciem, ob cordis
" ſimilitudinem, pro *remedio cardiaco* ha-
" bent, utiliſſimo ad *palpitationem cordis*,
" & *circulum ſanguinis* debita cum veloci-
" tate promovendum.

*Num. IX.*

" *Oxys, Africana, flore albo, trifolia, bul-*
" *boſa, promontorii Bonæ Spei.*

" Hæc formam fere eandem habet, ſub
" qua radix *Salab.* Num. 8. nobis deſcri-
" pta eſt, utut virtute cum hac ne compa-
" rari quidem poſſit: Eſt enim indolis &
" ſpeciei prorſus diverſæ. vid. *Jac. Breyn.*
" *Prodr. pag.* 80.

Tantum *Seba*, quæ etiam in *Commerc. Litt. Anni* 1736. *pag.* 231. *ſeqq. inſerta leguntur.*

§. LXV.

Nunc etiam exponam, quid ex aliorum li-

literis de illa radice acceperim; nimirum, hanc radicem ſub nomine *Serapias Arabum* notam, atque a *Samuele Dale in pharmacologiæ* ſuppl. Edit. Bremenſ. pag. 237. titulo *Serapias* deſcriptam eſſe.

Amſtelodamo vero mihi nuntiatum fuit, *Salab* non eſſe radicem, ſed *fructum*, eumque creſcere *Conſtantinopoli* in quadam arbuſcula, & præterea in oris maritimis *Indiæ Orientalis*, quæ Anglis ſubjacent. (*o*)

## §. LXVI.

Si ſpeciem externam conſideras, differunt inter ſe quam maxime tam magnitudine quam figura hæ radices *Salab*, quas in uſu habuimus; quædam enim illarum oblon-

(*o*) *Sic quoque ſæpe laudatus* du Buiſſon, *mihi ſcripſit*, „ *ſe ſic dictam radicem recta* „ *via ex urbe* Mocha *accipere*, *& non eſſe* „ *radicem*, *ſed fructum*, *& quidem ſpeciem* „ *ficuum*, *admodum aridarum*, *& ad ſolem* „ *ſiccatarum. Hocque clarius patere poſſe* „ *ex pedunculis ejus*, *ex quibus aperte videre* „ *detur*, *eſſe fructum. Dicunt*, *eum naſci* „ *inter* Hieroſolymam *&* Salem, *& vulgo* „ *adpellari* Gummi Salem *vel* Saleb."

longæ dactylum quodammodo referunt, ſed eo minores ſunt; quædam adhuc minores fructu Cacavi, aut etiam fabis Arabicis [ *Coffy-boonen* ] forma & magnitudine ſimiles, aliæ cordiformes ſunt; aliæ alias adhuc habent figuras informes; colore vel albicante vel ſubluteo, aliquantum pellucidæ, *nulla pelle* tectæ, carent odore, nec alium habent ſaporem, quam viſcoſa & mucilaginoſa, atque veluti hæc, admodum tamen lente, in ore, *contra radicum naturam*, totæ liqueſcunt, *diuque palato adhærent*;

§. LXVII.

Quidquid vero ſit, ſive fructus, quem ſpecie externa magis æquiparat; ſive radix, illa mihi *compluribus intentionibus medicis*, inprimis vero *emolliendi*, *lubricandi*, *demulcendi*, *leniendi*, *involvendi*, *obtundendi*, *incraſſandi* ſimul & *nutriendi* ſcopo ad varios morbos ex. gr. *Diarrhœas*, *adfectus Cholericos*, *Colicos*, &c. commodiſſimum & admodum commendabile videtur remedium, imo dignum, quod ulterioribus obſervationibus firmetur.

§. LXVIII.

Fama quidem eſt, ipſam *in adfectibus pecto-*

*ctoris Phthisicis*, in *Tussi catarrhali*, ut & in gravidis, ad *Abortum* ab acri & tenui sanguine præcavendum, adhiberi, sed ea hunc in finem nondum usus sum, licet huic scopo non inepta videatur. Dosis *drachma semis* cum lacte cocta in pulticulam instar Chocoladæ. (*p*)

Ejus libra mihi stetit viginti quatuor florenis hollandicis.

## §. LXIX.

Et quanquam plures & accuratiores relationes de hac radice ob occasionis penuriam nunc consequi haud datum est; spero tamen alios his excitatum iri, ut in hæc ulterius investigent, & de inventis suis nos certiores faciant. (*q*)

§. LXX.

(*p*) *Amicus quidam monet, ipsum solutionem radicis* Salab *ex lacte & aqua parasse, & aptiorem invenisse quam cum lacte aut aqua sola; lac enim solum nimis tenacem, & aqua sola nimis tenuem, nec satis mucilaginosam reddere solutionem.*

(*q*) " Præstat *hæc radix*, *ex* Buissonis
" *sententia*, præ Gummi Arabico & cera-
" sorum, *& creditur æque mucilaginosa ac*
" *Gummi Tragacanth.*



" In-

## §. LXX.

Ut nunc ad noſtram Dyſenteriam redeamus, de *Narcoticis* & *Opiatis*, quæ alii inter

---

" *Inſuper Vir Celeberr. adſeverat, ſe animadvertiſſe, modo dictam radicem* in
" omnibus adfectibus, quorum hic a nobis
" mentio facta, *optimas virtutes exſeruiſſe;*
" *imo præterea vel maxime in* colicis infan-
" tum doloribus, *ut & in* morbis pectoris
" catarrhoſis, *itemque in* Renum & Veſicæ
" vitiis *eam miros & ſtupendos edere effectus,*
" *ſe experientia didiciſſe.*"

*Teſtor & ego, me hanc Salab in omnibus caſibus, in quibus gummoſa, mucilaginoſa vel gelatinoſa adhibenda erant, tam in adultis, quam ſpeciatim in infantibus, magno cum ægrotorum commodo adhibuiſſe, & omnes effectus percepiſſe, qui ab illis unquam ſperari poſſunt, qua de re ad experientiam aliorum libere provocans plura referre ſupervacaneum duco.*

*Hoc tantum addam, me anno ſuperiore cuidam ægroto, tenerioris & ſiccioris conſtitutionis, qui inde a longo tempore* Cholera chronica *miſerum in modum laboraverat, & nulla ex re auxilium aut levamen perceperat,* *hanc*

ter ſpecifica anodyna antidyſenterica numerant, ſpeciatim hæc dicenda habeo, illa in morbo noſtro mihi admodum ſuſpecta fuisſe;

---

*hanc* Salab *præſcripſiſſe; qui æger eadem per ſex hebdomadas uſus dolores admodum imminutos eſſe ſenſit, ſed tandem hujus remedii ulteriore uſu abſtinere coactus eſt, cum obſervaſſet, e continua ejus uſurpatione* alvum ſibi adſtringi, *& dolores priſtinos redire, quare ad laxantia rurſus confugere neceſſe habuit.*

*Et revera huic radici, præter modo memoratas vires, aliquam etiam, quamvis leniſſimam,* adſtringendi *vel* roborandi vim *ineſſe, jam diu ſuſpicatus fui, ex eo, quod, quum intra os adſumitur, ejus mucilaginem* partibus ſolidis, *id eſt linguæ & faucibus, & ſine dubio etiam ventriculo & inteſtinis* diu & fortius adhærere, *jam ſupra indicaveram.*

*Et ob hanc ejus* virtutem peculiarem, *qua alia mucilaginoſa & gummoſa, nobis nota, deſtituta ſunt, omnibus reliquis hujus mucilaginem in morbis dyſentericis duplici ratione præferendam eſſe exiſtimo; parem enim illi nondum novimus.*

*Extra uſum medicum eadem ex ſalab optimum*

ſe; nam ſingularem poſcebant adplicationem & attentionem, nec unquam incaute ac promiſcue erant præſcribenda, ne ſenſum & vitam obnubilando obtundendoque malum intus augeretur, latiusque ſerperet.

Ancipitem imo fatalem eventum præmaturum & largum eorum uſum habuiſſe, obſervatum eſt: ſedium enim & dolorum induciæ, quas adferebant, admodum fallaces

---

*num etiam* Sandaracinum *dilutum ſeu* Vernix *confici poteſt.*

*Celeberr.* Heiſterus *inquirendum jubet, an non idem effectus vel a* noſtris orchidibus, *quæ quoque mucilaginoſæ ſunt, vel etiam a mucilagine* radicis ſymphyti *coctæ, vel* Malvæ, *vel* Altheæ, *vel* ſeminis Lini, *aut* Cydoniorum, *vel* Ichthyocollæ, *aliisve ſimilibus, obtineri queat? vid.* Compend. Med. Pract. pag. 286.

*Eodem ſcopo etiam in uſum vocari poſſet notum ſemen* Sago, *utpote ex quo gelatina mucilaginoſa parari poteſt, quæ, ſi rite confecta eſt, non ſolum leniens & ſimul nutriens evadit medicamentum, ſed &, ſi ſaccharo, ſucco citri & vino Rhenano temperatur, in deliciis erit, gratiorque quam gelatina Cornu Cervi.*

ces erant. Reddebant Medicum & ægrum ſolummodo ſecuros, ut inimico malo minus, quam oportebat, obviam iretur: interea alterum ſempiternus ſomnus oppresſit, alter inflammatione correptus interiit, aut alvi fluxus per illa ad aliquot horas vel dies ſuppreſſus dein copioſior redibat. Ut taceam, quod caput gravabant, & vires ſenſibiliter infringebant.

## §. LXXI.

Fateor me nunquam ex iis talem effectum percepiſſe, qui ad eorum uſum mihi animum facere potuiſſet, ſiquidem in gravioribus & pertinacioribus caſibus validiora non erant aliis remediis mitioribus.

Cum vero, evacuata jam ſatis materia morboſa, ægri conditio eorum auxilium ſuadere videbatur, nunquam ulterius proceſſi, quam ad *Maſſam Pilul. de Cynogl. Syrupum Papaveris albi* vel *Rhœados*, *Electuarium diaſcord. Fracaſt.* & *Theriacam.*

Sed tamen etiam *Syrupus Papaveris albi* & *Theriaca* non admodum tuti erant: nam quamprimum illi aliquam quietem adferebant, ſtatim ægros, de malo eventu Narcoticorum inſtructos, ſollicitudo incesſit, & abhorrebant ab hoc medicamento, quia ſuſpicabantur illi ineſſe *Opium*, time-

bantque ut ab illo ſomno unquam expergiſcerentur. (*r*)

## §. LXXII.

Ubi *urinæ ſuppreſſio* aderat, nec tamen illa incommodi quidquam pariebat, nulla indigebat medela.

Ubi vero *Teneſmus* aut *Dyſuria* vel *Strangu-*

---

(*r*) Soporifera & ſtupefacientia *venenis ipſis non ſine ratione adnumerantur; exigua enim mole facile nocent, majori vero doſi plane necant; hinc antiquis æque ac recentioribus Medicis ſemper ſuſpecta fuerunt, qui jam diu clamarunt: in hoc morbo* Narcotica eſſe Necrotica.

*Etſi enim ſomnus ab illis conciliatur, fluxus ſiſtitur, dolor minuitur, & hoc modo morbus jam victus videtur; tamen, niſi malignitas expugnata ſit, morbus recrudeſcit.*

*Et dubium ſane adhuc inter Medicos eſt, an* Opium *ullius morbi cauſam tollere, aut ullum morbum ſanare poſſit? Et an non potius morborum ſymptomata, eorumque ſenſum tantum obtundere, motuſque vitales adeo opprimere valeat, ut quaſi* viva jam mortis imago *ſiſtatur?*

*guria*, ob consensum colli vesicæ cum intestino recto, malum comitabatur, *balsamus Sulphuris simplex* vel *anisatus* egregie se gessit, inprimis in principio morbi; modeste vero ad paucas guttas semel vel bis tantum in die cum decocto *Simarubæ*, aut aliis mixtus, exhibendus erat, alias alvum simul stimulare observabatur. (*s*)

§. LXXIII.

---

(*s*) *Contra* Tenesmum *præ cæteris decoctum* Verbasci, *in lacte, externe cum spongia & linteis multiplicatis adplicatum commendat* Ettmuller.

*Hac occasione recordor, me eundem in finem, ut & in hæmorrhoidibus dolorosis adhibuisse* liquorem ex floribus Verbasci, *æstui solis in vitro expositis, quo facile fatiscunt in liquamen fuscum mucilaginoso-oleosum, quod in modo dictis adfectibus externe adplicatum, magnum utplurimum adferebat solamen.*

*Alii mappulas sive mantilia calido Lacti intincta & adplicata laudant.*

*In* Dysenteria fere epidemica, *quum* Tenesmo *ægroti vehementer adfligerentur, ac clysteres & suffimigia ex terebinth. Succino, mastiche nullum levamen adferrent*, hirudines *ad loca hæmorrhoidalia adplicabantur*,

## §. LXXIII.

Cum *motus febriles* non tanquam ſymptoma morbi hujus eſſentiale eſſent conſiderandi, perraro illis obviam eundum erat per alia medicamenta, quam quæ acre bilioſum, & materiam putridam humorum corrigendi, obtundendi, & leniter evacuandi ſcopo propinabantur.

Si vero neceſſitas urgeret, ſupra dictis admiſcui lenia diaphoretica, ut & præcipitantia atque abſorbentia, qualia ſunt ex priori

---

*idque præſentiſſimo cum effectu, adeo ut initio ſubitus hic & bonus effectus admirationi eſſet. Et deinde iterata, cum neceſſitas urgeret, hac adplicatione, inveniebatur, has hirudines merito efficaciſſimum & præſentiſſimum remedium exiſtimandum eſſe: vid. Celeberr.* Buchneri Miſcell. Med. Phyſ. Mathemat. *Anni* 1728. *pag.* 1035.

*Cum in* Dyſenteria Indorum Teneſmus *cum immodica & perpetua alvi dejectione moleſtiſſimum eſſet ſymptoma, huic opponebant Rheum, omni die aſſumendum, & clyſmata, ex herbis emollientibus & leniter adſtringentibus compoſita, ſæpius injicienda, commendabant.*

ri claſſe *Eſſentia Gentianæ rubræ* vel *Pimpinellæ albæ* cum *Eſſentia Caſcarillæ* mixta; ex poſteriori vero *lapides Cancrorum*, *Conchæ præpar. Antim. diaph.* &c. eaque ſuffecere.

## §. LXXIV.

Neque *præcordiorum anxietates* aliud admittebant medicamen, quam quæ ſupra jam recenſita ſunt; nam ſi iis non tolluntur nec cedunt, haud vanum metum de viſceribus infectis & de ſphacelo imminente aut jam præſente incutiunt.

## §. LXXV.

Ad *Abdominis ſpaſmos*, *dolores* &c. mitigandos, *Emplaſtrum de Sapone* cum *Camphora*; ad *alvi fluxum* vero moderandum *Emplaſtrum de Theriaca*, *Empl. de cruſta panis* cum *vino rubro* & *Nuce Moſchata*, *Empl. de Gummat. ſtomachale*, *oleum Nucis Moſchatæ expreſſum*, abdomini externe adplicare ſuaſimus. Effecerunt quod valebant, non vero quod debebant.

## §. LXXVI.

*Regimen diætæ* per totum morbi decurſum exacte obſervandum erat, Omnis victus ſic

ſic inſtituendus fuit, ut, quantum fieri posſet, *veneno alcaleſcenti* reſiſteret.

Ex claſſe alimentorum itaque non niſi tenuiſſima, concoctu facilia, blanda, *farinacea*, mucilaginoſa, *ad aceſcentiam prona* apponebantur, cujusmodi ſunt pultes ex *Hordeo*, *Oryza*, *Avena*, *Milio* &c. cum *Lacte* paratæ; *

Ad-

---

* *In diæteticis incraſſantibus prætereunda non ſunt tubera illa Americana, quæ a quibusdam* Patatos *&* Patatoes, *ab aliis* Papas Americanum *ab aliis* ſolanum tuberoſum eſculentum, (*Belgice* Aardappelen) *vocantur.*

*De his in noſtra Dyſenteria ſæpe ſermo incidit, utrum dyſentericis eorum uſus concedendus eſſet? Alter enim pro cibo ſalubri, alter autem pro duro & male ſano cibo habebat.*

*Si vero hæc tubera phyſico-chemice explorantur, invenimus eorum partes conſtitutivas conſiſtere in ſubſtantia farinacea, quæ cingitur aliqua craſſiore terra. Hæc ſubſtantia farinacea adeo levis & tenuis eſt, ut a farina tritici nihil aut parum diſtet, proinde ex illa facili methodo æque tenue, ſi non tenuius* Amylum *ſeparari poteſt & ſolet, ac ex ipſo tritico.*

*Uſus*

Adhæc juſcula gelatinoſa e *carne ovilla*, *vervecina*, in frequenti uſu fuerunt, aliarum tamen carnium juſcula, inprimis *gallinarum*, *pedum vitulinorum* &c. eadem bonitate valebant, ut & eorum & *Cornu Cervi gelatinæ.* Porro permiſimus *Panem album*, *biſcoctum*, *Ova* recentia ſorbilia ſola, vel cum *Lacte* admixto parata, utpote quæ *Ova* non adeo reformidanda ſunt, ob vanum vulgi metum, acſi bilem magis augeant; potius egregium demul-

---

*Uſus horum tuberum terræ in his terris etiam delicati cibi locum obtinet, tam apud lautioris ſortis homines, quam egentiores, inter quos panis locum obtinent, adeoque univerſales deliciæ habentur, ut ſi quis iisdem noſtris incolis interdicere anniteretur, præcipuam alimenti partem ſibi auferri exiſtimarent.*

*Cum itaque ex indicato examine pateat, his tuberibus ineſſe principium ad nutritionem aptum, illaque eſculentum naturæ gratum & concoctu facile præſtare, teſte quotidiano uſu, minime dubitavi, eorum eſum per totam Epidemiæ periodum ægris meis indulgere; nec ullum effectum noxium quisquam ex iis percepit.*

mulcendi & ſimul nutriendi præſtant effe-
ctum (*t*)

Vitandi contra erant omnes cibi crudi, difficilis digeſtionis, mali nutrimenti, & qui *corruptioni* facile obnoxii erant; omnis generis piſces, carnem ſuillam &c. inprimis longe faceſſere juſſimus omnia calida, acria, aromatica, ſalſa & ſales.

## §. LXXVII.

Pro potu erant *Ptiſanæ* ex ſupra dictis, *Milio*, *Hordeo* &c. *Decoctum* ſic dictum *album Sydenhami*, infuſum calidum *Theæ* ut & *Caffeti* cum Lacte, *emulſiones Amygdalarum* dilutiores, &c.

Conceſſimus etiam *aquam fontanam*, non quidem crudam, ſed coctione depuratam, & paulùlum refrigeratam, vel puram, vel cum *Pane toſto* & *ſucco Citri* temperatam, ad reſtinguendam *ſitim pro lubitu*, non ſolum

---

(*t*) Ovorum *indoles prona quidem eſt in alcaleſcentiam, interim, quamdiu blanditiem naturalem ſervant vitelli, ſaponaceorum more, demulcendi, bilemque, quæ inteſtinis adhæret, ſolvendi & abſtergendi virtute præditi eſſe, utique cenſentur.*

lum ſine ulla noxa, ſed & erant, qui vix alium potum adpeterent.

Et quamvis hoc aliorum ſententiæ repugnet, meminerint, oro, quantum ſolatii capiant ægri, ſi tali potus deſiderio flagranti ſatisfiat, quantumque materia acris eo ſimul elui poſſit, modo *minoribus*, & *non actu frigidis hauſtibus* biberint. (*u*)

Por-

---

(*u*) *Nullum eſt in natura remedium, quod, ſi potens ſit in agendo, non etiam noceat, ſi perverſe adhibeatur.*

*Hoc conſilio* aqua ſimplex, *tanquam remedium validis ad agendum viribus carens, fere in quocumque morbo ſine damno porrigi poteſt, hancque ob cauſam a nonnullis Medicis* Medicina Univerſalis *audit, multisque remediis chemicis, ſolaribus, bezoardicis, cardiacis, aliisque ſpirituoſis palmam præripit aquæ ſimplicis potus, debita cum prudentia adhibitus.*

*Hinc dolendum eſt*, divinum hoc remedium *ab aliis adeo ſperni; nec minus mirandum eſt, magni nominis Medicos præteriti ſeculi in malo dyſenterico ob fluxus alvini copioſioris metum, magnam curæ partem in potus abſtinentia poſuiſſe, docentes:* parce bibere præcipuum eſſe auxilium,

*&*

Porro usum *Lactis ebutyrati* recentis ejusque *seri* ægris multum commendavimus, opti-

---

& *qui* sitim magna patientia ferant, felicius curari.

*Verum enim vero, aquam simplicem non solum in genere in multis morbis, sed & speciatim in cholericis, biliosis, dysentericis similibusque malis optimo cum fructu propinatam, nec quidquam detrimenti inde passos; quin potius solius hujus simplicis remedii ope multos ex mortis faucibus ereptos fuisse ægros, nostra & multorum aliorum Medicorum experientia testari possumus.*

*Est enim omnium humorum acrium, rodentium, summum antidotum & anodynum, nec ullum obstat impedimentum, quin tuto propinari possit innocens hoc remedium.*

*Egomet ipse testari possum, quid in morbo* cholerico, *& speciatim in* siti *illa immodica & inexplebili, Medicis* clamosa *dicta, &* cholera *decumbentibus adeo familiari, in me expertus sim.*

*Et cum casus hic revera in rarissimis numerari possit, arbitror me de publico haud male meriturum, si de historia morbi, quo olim adfligebar, ea tantum excerpam, quæ ad scopum nostrum faciunt. Totum autem ca-*

optimumque exinde effectum vidimus; pollent enim virtute abstergendi, & simul resi-

---

*casum pluribus exposui in* Disputatione *mea* Inaugurali de Febre Petechiali cum Cholerico-causodea complicata, *habita Trajecti ad Rhen. Ann.* 1717. *nimirum:*

„ *A septimo die diarrhoea bilioso-fœtida semel vel bis quotidie proveniebat.*

„ Sitis, *quæ usque ad diem duodecimum* „ *mediocris fuerat*, *nunc* inexstinguibilis „ *&* clamosa *existebat.*

„ *A decimo tertio quidem die ad decimum* „ *quintum perdurabat illa sitis dies noctes-* „ *que, nisi quod ante meridiem paulisper* „ *remitteret, quibus diebus observatum fuit,* „ *me intra* 24. *horarum spatium*, 24. *circi-* „ *ter libras aquæ tepidæ bibisse.*

„ *Sub initio quidem morbi potio hæc aquo-* „ *sa cum rasura Cornu Cervi & nonnullis* „ *aliis præparabatur. Cum autem sitis ita* „ *increbesceret, ut per loci circumstantias po-* „ *tus hic artificiosus in tanta quantitate* „ *non amplius parari posset, aqua mere sim-* „ *plex cocta & ad teporem remissa propi-* „ *nabatur.*

„ *Die decimo quinto intra quatuordecim* „ *horas* 48. *libræ hujus potionis exhaurie-*

ſiſtendi putredini, ortæ ab alcaleſcentia bilis; hinc vanus erat eorum metus, qui ſero lactis ægris ſuis interdixere.

Sua-

---

„ *bantur. Nec remittebat diarrhoea bilioſo-*
„ *fœtida.*

„ *Die autem decimo ſexto alium quodam-*
„ *modo typum morbus formabat, & eodem*
„ *tenore ad finem uſque continuus ibat.*

„ *Sitis enim accurate circa duodecimam*
„ *meridiei quotidie incipiebat; quo tempore*
„ *duo homines ſemper adeſſe debebant, al-*
„ *ter, qui potum ad juſtum teporem (alio-*
„ *quin enim natura renuebat adſumere) mi-*
„ *ſceret, alter, qui eundem flagitanti mihi*
„ *offerret.*

„ *Quamprimum enim hauſtum hujus tepidæ*
„ *potionis moderatum ſumſeram, ſitis* eo-
„ dem momento *denuo urgebat, ut Germa-*
„ *nicum meum* Waſſer (*aquam*) *clamita-*
„ *rem. Cumque hac ratione dimidiæ horæ*
„ *ſpatio per* 8. *ad* 10. *libras potionis meæ*
„ *ſumſiſſem*, vomitus (*& quidem hoc deci-*
„ *mo ſexto die* prima vice) *erumpebat, per*
„ *quem aqua non ſimplex tepida, ſed* flave-
„ dine *tincta calidior ejiciebatur; vomitum*
„ *deinde una vel altera* ſedes bilioſo-fœtida
„ *ſtatim excipiebat. Hæc exoneratio vix fa-*
„ *cta*

Suaſimus etiam quam maxime *vinum Rhenanum* & *Moſellanum*, non quidem vetus

---

„ *ēta erat, cum ſitis denuo ureret, ut pri-*
„ *ſtinam cantilenam* Waſſer (*aquam*) *repe-*
„ *tere cogerer: Sumebatur eadem circiter*
„ *portio, ſequente eodem effectu emetico-ca-*
„ *tharctico, & hoc* tertia vice:

„ *Hoc modo* duabus *circiter* horis, 24. *ad*
„ 30. libræ *potus hauſtæ; quo ſemper paro-*
„ *xyſmi tempore* (*alias vero non*) ſingultus
„ *aliquot audiebantur, & cum hi inciperent,*
„ *mihi quaſi levamen quoddam, licet ſatis*
„ *adhuc moleſtum, ſitis illius plane inexſtin-*
„ *guibilis adferre videbantur, ita ut, quo*
„ *intenſiores eſſent ſingultus, eo remiſſior*
„ *fieret ſitis; illis vero remittentibus, ſitis*
„ *prior rediret.*

„ *Reliquis* 22. *horis ſtatus erat ſatis tran-*
„ *quillus. Nullas experiebar anxietates, nec*
„ *urgentes dolores; rigidus autem, viribus*
„ *plane exhauſtus, & quaſi mortuus decum-*
„ *bebam.*

„ *Die vigeſimo primo paroxyſmus per di-*
„ *midiam ſaltem horam durabat, & vix di-*
„ *midia pars conſuetæ portionis aquæ ſume-*
„ *batur.*

„ *Dies autem vigeſimus ſecundus* huic

tus ſolum & generoſum, ſed etiam levius & tamen bonum, quod guſtatu gratum & ſubacidum erat; *ob hanc* enim ſuam *aciditatem* per totum morbi decurſum egregie profuit, nulla habita febris ratione, ſive adfuerit, ſive non, vinum modo modice & medice adhiberetur, contra opinionem eorum, qui morbi genium ignorantes ejus uſum diſſuadebant: putredini bilioſæ reſiſtit vinum, tonumque ventriculi & inteſtinorum reſtituit ac roborat, viresque amiſſas reſarcit; eoque ſolo jam multos, a Dyſenteria quam maxime excruciatos, reſtitutos fuiſſe, hiſtoriæ narrant. (*x*)

Ad-

---

„ ſcenæ *finem imponebat. Cum enim me-*
„ *ridies adpropinquaret, & potio parata eſ-*
„ *ſet, ego etiam ſolito more eandem poſtula-*
„ *rem, hauſta exigui vitri portione, natu-*
„ *ra reliquum adſumere faſtidiebat.*

(*x*) *Malum hoc id ſingulare habet, ut moderatus potus* vini ſubaciduli *non ſolum non noceat, ſed & plerumque, licet febris conſpiret, bonum effectum præſtare obſervetur. Sic in Dyſenteria epidemica potum vini* Franconici *ſalutarem fuiſſe legimus in* Ephemer. Natur. Curioſ. Dec. II. Ann. VII. Obſ. 145.

*Et*

Adhæc *ſuccum Citri* condimenti loco omni cibo & potui ad gratiam ſaporis admiſcendum curavimus, idque ſalutari cum ſucceſſu.

*Acida* enim *blanda* materiam putreſcentem, ubi in corpore eſt, non ſolum corrigunt, ſed & *veneno bilioſo* utique reſiſtunt, illiusque *ſpicula alcalina putrida* potenter infringunt, ſitimque ſimul reſtinguunt; nec adeo reformidanda ſunt, ut quidam autumant.

*Acetum* enim ipſum in adfectu Dyſenterico

---

*Et revera in morbis contagioſis* vinum Rhenanum *vel* Moſellanum *ſunt* verum arcanum.

*Hinc merito Celeberr.* Petr. Burmannus in Batenſteino ſuo cecinit:

Unica me recreet vitis divina Moſellæ,
Quæque ſalutifero membra liquore riget.
Hic ſapit, hic arcet medicanti rore Podagram,
Calculus hoc poto rene fugatus abit.
Hinc mihi nulla lues, capitis fervorve dolorve
Nullus, nec dubius pes, neque dextra tremens.

rico cum ſucceſſu adhibitum fuiſſe apud alios legimus, quanquam eo non uſi ſumus, utpote gratioribus ſatis inſtructi. (*y*)

Lon-

---

(*y*) *Mirandum ſane eſt, Medicos antiquo quodam & anili præjudicio in* aceto *ægris, ex morbis acutis, malignis, decumbentibus propinando, adeo meticuloſos eſſe; cum tamen* acetum *ſit acidum vinoſum, naturæ noſtræ amiciſſimum, valide reſiſtens alcaleſcentiæ putredinoſæ.*

*Hinc illud etiam non ſolum modo quotidie in cibis parandis adhibetur, ſed etiam a matribus familias in uſum vocatur, ad carnes aliasque res a putredine conſervandas.*

*In* Peſte, *ad cujus indolem Dyſenteria maligna proxime accedit,* acetum *pro optimo & potentiſſimo prophylactico exiſtimatur.*

*In morbo* Dyſenterico Ephemer. Natur. Curioſ. dec. III. Ann. I. Obſ. 62. *invenimus exemplum ruſtici, qui, omnibus pharmacis nihil juvantibus, proprio inſtinctu acetum hauſit, ejusque ope convaluit.*

Celeberr. Sennertus *vaporem aceti ut & fotus adhibendos commendat.*

*Nec video, cur, urgente neceſſitate, & propter inopiam ægrotantium, ubi gratiorum & blandiorum acidorum nulla ſuppetit copia,*

*ace-*

Longe vero abesse jussimus potus feculentos, & ad repentinam fermentationem pronos, quales sunt *cerevisia* recens, ut & talis potus, quem hic *Moll* adpellant.

## §. LXXVIII.

*Vina generosiora, fortia, spirituosa & dulcia*, ex quorum genere est *Hispanicum*, *vin Tint* dictum, non bene ferebant ægri, quamvis alii pro summo arcano in hoc morbo habebant; anxietates potius, æstum & sitim excitabant.

Vi-

---

*acetum adhibendum non sit? a cujus usu minime abhorrerem, si casus & circumstantiæ ægrorum ferant.*

*Mihi ipsi concors casus oblatus est, dum femina rustica ex febri ardente gravissime ægrotabat, quumque ad extrema redacta esset, petiit a viro, ut sibi acetum bibendum daret. Maritus precibus ejus permotus ipsi ad quatuor usque pintas exhibuit, quo poto, femina convaluit. Ob hoc ausum deinde rusticus insimulabatur veneficii, acsi uxorem tollere voluisset, contra quam accusationem ipsum defendi, atque ostendi, id optimum fuisse remedium physicum, quod homo in paupere villa uxori potuerit adferre.*

Vina autem *auſtera* & *adſtringentia*, cujusmodi eſt Gallicum illud rubrum, dictum *Pontak*, utique nocebant, inprimis ſub initium morbi, neque etiam in declinatione ejus laudabilem inde effectum vidimus; hinc ægris meis ejus potum diſſuaſi, raroque, aut non niſi ſuperato jam morbo, bibendum conceſſi.

## §. LXXIX.

Poſtremum *quieta* quoque *corporis continentia* ſervanda, & *calor* decens veſtibus integumentisque aliis procurandus erat.

*Motus corporis*, *frigus*, (z) omnesque *animi adfectus* imprimis ira, mœror, metus &c. maxime vitandi fuere; nam iis malum facile exaſperabatur.

§. LXXX.

---

(z) Omne frigus *transpirationem lædit, & huic morbo maxime inimicum eſt; maxime abdominis & pedum improvida refrigeratio ſumma ſolicitudine vitanda. His enim neglectis, malum ſtatim exacerbatum fuiſſe, vidimus; hinc deſidentibus aqua calida ſupponenda eſt.*

*Aër porro veſpertinus & nocturnus, quantum fieri poteſt, evitetur, ne adeo facile huic morbo obnoxii ſimus.*

## §. LXXX.

*Dysenteria* in *longius protracta*, viribus tamen adhuc valentibus, interposita cæteris medicamentis *Ipecacuanha*, vel pulvere *Rhabarbari*, in paulo majori dosi, fortius evacuandi scopo, ut plurimum sistebatur; fortiora vero purgantia iis admiscendo, ex. gr. scammoniata & similia minime tuta fuisse, sæpius notavimus:

## §. LXXXI.

Ubi vero malum per multas hebdomadas, imo menses perseveravit, ut intestina jam abrasa, exesa aut exulcerata essent, non amplius ut Dysenteria simplex, sed simul ut *ulcus fœtidum*, *maligni moris*, *cancrosum*, tractandum, medicamentisque ordinariis balsamica, ex. gr. *Gummi Olibanum*, *Mastiche*, (a) *Succinum*, *Terebinthina*, aliaque his similia, admiscenda erant, licet rarissime illis usus sim.

*Gum-*

(*a*) Gummi Mastiche *lenissimis abstergendi & roborandi virtutibus instructum, in debilitate, ut & in ulceribus intestinorum, tutissimum est balsamicum.*

*Gummi* vero *Arabicum* in hoc caſu egregie ſe geſſit; quare maxime commendandum, ac cæteris anteponendum erat. (*b*)

## §. LXXXII.

*Cœliacæ* ſpecies remanens, medicamentis, digeſtionis negotium promoventibus, roborantibus, &c. ex. gr. *Tinctura Caſcarillæ* cum pauxillo *Tincturæ Rhei* mixta, *Mixtura tonica*, ex *Tinctura Antimonii* cum *ſpiritu Cornu Cervi* anatica portione parata, *Tinct. Vitriol. Martis Lud.* &c. interpoſita aliquoties *purgatione fortiori*, tollenda erat; ſic chylus excrementis mixtus ſenſim minuebatur, & tandem evaneſcebat.

## §. LXXXIII.

*Oedemata pedum* & *abdominis tumor*, poſt Dy-

---

(*b*) Gummi Arabicum *ſeri acrimoniam demulcet, & mucilagine ſua dolores & tormina mitigat. In potu ordinario, juſculis carnium calidis, decocto Hordei ad drachmam unam pro doſi commode adhiberi poteſt. In eundem finem* Gummi Tragacanthæ *ſalubriter in ſubſidium vocatur.*

Dyſenteriam refractariam debellatam orientia, iteratis alvi evacuationibus cum *Extracto panchymag. Croll. Scammonio*, *Mercurio dulci*, *Pilulis Beccheri correctis*, inſtitutis &c. mitioribusque tonicis, qualis eſt modo dicta *Mixtura tonica*, facile cedebant.

## §. LXXXIV.

*Poſt Dyſenteriæ curam* victu & regimine per quam exquiſito per aliquot adhuc hebdomadas opus erat, ac ſi morbus adhuc vigeret. Deprehendi enim homines hoc negligentes, omniaque, quæ collibuit, agentes, qui deinde *recidivam* paſſi ingens periculum ſubibant, & ſatis diu priſtino cum malo luctabantur.

## §. LXXXV.

Habes hic, amice Lector, *meam methodum* & *arma*, quibus hanc luem oppugnavimus, non infelici cum ſucceſſu. Hæcque pauca nobis ſufficere videntur.

In his enim omnibus regulæ poſitivæ proponi non poſſunt, ſufficit, ſi præcipua & commodiſſima in quovis caſu nobis cognita ſunt.

Exiſtimo vero, me omnia adeo diſtincte & dilucide explicaſſe, ut quilibet Medicus, ad-

adhibita diligentia & judicio facile inde perſpicere queat, quid ſibi ſimili in caſu agendum indicetur.

Adeoque ſupervacaneum nunc erit, caſus & curationes ſingulorum ægrorum hic prolixe enarrare, quandoquidem Medicum non ſtricte ex his exemplis, ſed ex ſuis indicantibus curationem inſtituere oportet.

## §. LXXXVI.

Hanc vero *noſtram methodum* eſſe *tutam*, aliosque etiam abſentes Medicos, quibuscum eam communicavimus, metu minantis vicini contagii, eandem cum ſucceſſu adhibuiſſe, tres his adjuncti caſus nobis tranſcripti teſtantur, quorum prior ita ſe habet: „ Virgo 30. circiter annorum die 18.
„ Octobris Anni 1736. ſimplici diarrhœa
„ corripitur, quæ ſenſim decreſcens cum
„ levamine, [ita ut die ſubſequente 21mo
„ ejusdem menſis concioni adeſſe potue-
„ rit, ſolummodo duas dejectiones illo die
„ experta:]

„ Die 22do mane hora circiter ſemi ſex-
„ ta magno impetu, anxietatibus, dejectio-
„ nibus liquidis admodum, veluti aqueis,
„ leviter coloratis, & conjuncta febre ite-
„ rum invaſit, ut decumbere cogeretur.

„ Mox dedi *radicis Ipecacuanhœ drachmam*

„ *mam ſemis*, quæ duos vomitus valde an-
„ xios excitavit:

„ Deinde omni quadrihorio cochlear
„ unum *Tincturæ Rhei aquoſæ ſimplicis*,
„ nullo addito ſale.

„ Statim poſt vomitum dejectiones in
„ quantitate quidem, ſed non in qualitate
„ minuebantur, ita ut illo meridie tantum
„ tres habuerit. Febris non plane ceſſabat;
„ ſed non adeo vehemens erat, ſicuti etiam
„ tormina & anxietates, quæ admodum
„ tolerabilia erant, excepto, quando alvum
„ deponebat, ubi ſemper augebantur. Te-
„ neſmus quoque, ab initio conjunctus,
„ inprimis moleſtus erat.

„ Die 23° dejectiones & omnia reliqua
„ ſymptomata adhuc magis imminuta erant.

„ Die vero 24to verſus meridiem rurſus
„ augebantur, materia exiſtente cruentio-
„ re; quare *Tincturæ Rhei unciis tribus* ad-
„ jeci *drachmas ſex Tincturæ Caſcarillæ*, &
„ eodem modo uſurpare juſſi: Mox flu-
„ xus alvi atque tormina anxietatesque ma-
„ xime moleſtæ ceſſabant, materia evaden-
„ te ſpiſſiore, & ſubſequente ſudore, præ-
„ cipue tempore matutino, quo febris ad-
„ modum minuebatur, quodque ſemper
„ obſervavi, quando cura ſucceſſit.

„ Die 25to ejusdem menſis tantum bis
„ exoneravit alvum, quæ ſequentibus die-

„ bus

„ bus tam in quantitate, quam in qualitate
„ melior fiebat.

„ Remanebat tamen in infimo ventre
„ ſenſus alicujus ponderis, quem ab inte-
„ ſtinorum laxitate eſſe reputans *ſola Eſſen-
„ tia Caſcarillæ* ad 40. guttas omni quadri-
„ horio ſumenda, removere ſtudui, atque
„ illo etiam cum effectu, ut quotidie de-
„ creſceret, donec tandem uſu *Mixturæ*
„ *noſtræ tonicæ* * ad 50. guttas quater per
„ diem plane diſpareret, ſubſequente men-
„ ſium fluxu.

Reliqui duo caſus in compendium reda-
cti ita mihi reſcripti ſunt. „ Præterea duas
„ mulieres ex ejusmodi Dyſenteria, de qua
„ ante, laborantes, tractandas habui, ea-
„ demque methodo curavi, excepto, quod
„ *Ipecacuanham* non exhibuerim; quia ab
„ initio ſua ſponte ſatis vehementer vome-
„ bant, ſed ſolam *Tincturam Rhei*, ac
„ deinde *Eſſentiæ Caſcarillæ* permixtam,
„ poſtmodum autem *Eſſentiam Caſcarillæ*
„ ſolam.

„ Verum, quia harum altera præter
„ modum inteſtinorum tormina ſentie-
„ bat, *Tincturæ Rhei* & *Eſſentiæ Caſca-
„ rillæ Syrupum Papaveris Rhæados* æqua-
„ li

* Vid. ſupr. §. LXXXII.

„ li cum *Essentiæ Cascarillæ* quantitate ;
„ addidi. (*c*)

§. LXXXVII.

---

(*c*) *Ad firmanda superius dicta, hic addendum existimo: Anno* 1747. *Dysenteriam variis in* Agri Velaviensis *locis ac vicis, inprimis in vico* Loenen, Appeldoorn, Beckbergen, Vasen, Eppen, *aliisque se manifestasse, ibidemque vehementer grassatam esse; adeò, ut* suprema Geldriæ Curia, *quæ* Arenaci *est, necesse duxerit, binos Medicos cum chirurgo, ad opem miseris & adflictis ferendam, Arenaco illuc mittere, suppeditatis ex ærario publico nummis, eo fine, ut & morbi indolem scrutarentur curarentque, ne ægrotis remedia & salubria alimenta aut integumenta contra frigus deessent. Et quo curatius omnia fierent, Chirurgo eorum dispensatio mandabatur.*

*Primo aditu, qui fiebat* 23. *die Septembris, prædicti Medici numerum ægrotantium inveniebant admodum magnum, quos omnes vicatim enumerare hic supervacaneum quidem esset: Interim tamen solum vicum* Loenen *speciminis loco adducam, in quo isto temporis articulo,* 35. *ægri decumbebant. A* 23. *Septembris die ad* 3. *Octobris numerus adflictorum ad* 80. *& a* 3. *Octobris ad* 10. *ejus men-*

## §. LXXXVII.

Cum jam enarravimus, quid Medicus rationalis facere poſſit, etiam nonnihil comme-

---

*menſis diem ad 92. excreverat. Inde ad 3. diem Novembris numerus ægrotorum cum morbo minuebatur. Eoque die tantum 39. ægroti erant. A 3. Novembris ad 10. ejusdem menſis tantum pauci ægri inveniebantur, & ſub finem menſis Novembris morbus plane ceſſabat.*

*Par fuit hujus morbi decurſus in reliquis vicis, & pro numero incolarum pauciores pluresve ibidem adfligebantur.*

*Morbus vero ipſe ejusdemque ſymptomata, prope plane eadem fuerunt, ut nobis relatum eſt, quæ hic loci graſſante Dyſenteria obſervavimus; quare nihil ulterius de illis commemorandum.*

*Interea multi mortales hoc malo abſumti ſunt, inprimis illi, qui initio per egeſtatem medicamentis caruerunt, aut qui ſero nimis auxilium expetivere, aut perverſa remedia adhibuerant.*

*In univerſum morbus hic alios diutius, alios per brevius excruciavit ſpatium. Itque, qui in primo ſtatim mali adſultu, radice* Ipe-

memorandum eſt de illis *curis tumultuariis*, ac *remediis*, ut ajunt, *domeſticis*, quæ in-

---

Ipecuanhæ *uſi ſunt, intra paucos dies convaluerunt.*

*Alii per menſem & amplius adfligebantur; ſed maxima pars intra* 14. *dies ſalvi evaſerunt, aut exſtincti ſunt.*

Methodus medendi, *quam prædicti Medici ſecuti ſunt, & opem ferenti Chirurgo per omne tempus accurate obſervandam tenendamque mandarunt*, *propemodum* in omnibus cum noſtra conveniebat, *& quantum pro temporis circumſtantiis fieri potuit*, ubivis ejus ratio habita eſt. *Eaque juſſu* delegatorum Ordinum & Curiæ Supremæ Tetrarchiæ Velaviæ *typis deſcripta & in uſum atque commodum incolarum diſtributa eſt, ut tempore & in caſu neceſſitatis urgentis, atque ubi Medicus adeſſe non poterat, aliquo modo laborantibus ſuccurreretur.*

*Supervacaneum erit, præſcriptum illud de verbo ad verbum hic addere. Nec attingam regimen, aliaque obſervanda, quum ea ſint ſatis nota; Tantummodo modum tractandi ægros memoratorum Medicorum in pauca contraham. Is vero belgico idiomate vulgatus eſt hoc titulo*: Remedia & methodus,

incauta plebs aliique artifices ad debellandum hunc morbum, præter rationem abhibuerunt.

Va-

---

quæ bono cum ſucceſſu in uſum advocata ſunt in quibusdam Velaviæ locis, quibusbusque jam complures ſanati ſunt.

" *Primis tribus bujus morbi diebus ſumi-*
" *tur vomitorium ex* rad. Ipecacuanhæ,
" *quod materiam peccantem, corrodentem,*
" *in & prope ventriculum ſtabulantem, per*
" *proximas vias educit, ne reliqua inteſtina*
" *corrodat & inficiat.*

" *Poſtea per aliquot dies adhibetur infu-*
" *ſum ex* Rhabarbaro, *ad abigendam &*
" *corrigendam reſiduam materiam mali-*
" *gnam.*

" *Poſtremo in uſum una cum hoc infuſo*
" *vocatur Tinctura* Corticis Caſcarillæ, *quæ*
" *debilem ſtomachum cum inteſtinis corrobo-*
" *rat, & reſtantem inflammationem exiguam*
" *diſpellit ac tollit. Quibus rite peractis, Dy-*
" *ſenteria ceſſat.*

" *Poſt hæc optima alimenta, ex juſculis,*
" *ex ovilla carne aliisque parata, & dein-*
" *de præparatio & doſis remediorum indi-*
" *cabatur.*

" *Iisque ſub finem addita eſt* ſcripta for-

mu-

Vanos ſane, fallaces, imo funeſtos ut plurimum ejusmodi fuiſſe conatus, facile con-

---

" mula Celeberrimi alicujus Profeſſoris
" contra Dyſenteriam, *hoc modo:*

Primo, remedium præſervandi pro ſanis.

" *Singulis hebdomadibus ſumantur una
" vel duæ ſcutellæ Coffeti, plenæ infuſo*
" Rhabarbari, *ad quod parandum ſumantur*
" 2. *drachmæ Rhabarbari conciſi, adfun-
" dantur iis tres vel quatuor ſcutellæ aquæ
" ferventis, fiat extractum.*

Secundo, remedium pro iis, qui jam Dyſenteria correpti ſunt.

" *Quam primum febris adeſt, & dum mul-
" ti inveniuntur, in quibus inflammatio ad-
" eſt, vena erit ſecanda.*

" *Multo lacte utendum pro cibo; quotidie
" clyſteres adhibendi, præparati ex recenti
" lacte ebutyrato & melle: fomenta ex laneis
" pannis ventri imponenda.*

" *In Dyſenteria ſine febre, uſitata remedia
" in uſum vocanda.*

*His aliam addo morbi Dyſenterici hiſtoriam,*

*Eodem nimirum Anno* 1747. *etiam* Zwollæ *graſſabatur Dyſenteria, quo tempore ſuper illa in conſilium ab amico vocabar. Et cum*

conjicere poteſt, qui cognoſcit, omnium ejusmodi vitio creatorum Medicaſtrorum uni-

---

*poſtea Doctiſſ.* G. Bodde, *Medicus illius urbis, deſcripſerit ejus luis decurſum, in libello duarum philyrarum, Belgica lingua vulgato, cui titulus:* Brevis & accurata deſcriptio graſſantis Dyſenteriæ putredinoſæ; *puto me rem haud ſupervacaneam acturum, ſi illam hic in compendium redigam.*

" *Poſtquam variolæ jam ab initio Anni*
" 1747. *& per totam hiemem haud parvam*
" *ſtragem* Zwollæ *ediderant, Auctor hujus*
" *tractatus jam tum prædixerat, hunc mor-*
" *bum in alium tranſiturum: quam prædictio-*
" *nem etiam exitus confirmavit; namque jam*
" *mature in vico* Genemuiden *& circum ja-*
" *cente agro Dyſenteria ſe manifeſtavit, quæ*
" *quidem principio benigna erat, ſed menſi-*
" *bus Junio & Julio in admodum malignam*
" *degenerabat, multosque mortales letho da-*
" *bat.*

" *Hic fluxus deinde plerumque tranſibat*
" *in Dyſenteriam mucoſam ſanguine mix-*
" *tam, de quo Auctor modo quædam gene-*
" *raliora, & huic morbo propria ſympto-*
" *mata commemorat, oſtendens, illam exſti-*
" *tiſſe contagioſam.*

" *Præ-*

unicum ſcopum eo collimaſſe, ut alvi fluxum tantummodo ſupprimerent & adſtringe-

" *Præterea hæc obſervabat, quod, quamvis ægroti in aliis morbis contagioſis, a quibus invadebantur, plerumque, ubi ſemel ex iisdem eluctati fuerunt, immunes poſtea ab illis maneant, nec in illos recidant, in hoc tamen malo res aliter evenerit; multos enim, qui hoc malo laboraverant, & reſtituti fuerant, ab eodem denuo corripiebantur, ſi modo præmature domo exeuntes ſe in vias darent, ut ad alios ægrotos, hoc morbo decumbentes, accederent. Id quod ipſi Auctori accidit, qui miſerandum in modum cum hac lue conflictatus & ad extrema redactus erat.*

" *Cauſam hujus morbi auctor arbitratur fuiſſe vehementem* aëris calorem, *&* inſecta *per illum generata atque in eundem adtracta, quæ deinde per reſpirationem humanis corporibus inſinuata fuerint.*

" *Generalis medendi methodus, qua Auctor in hoc morbo uſus fuerat, hæc erat: ubi initio conatus vomendi, aut vomitus ipſe aderat, præſcribebat rad.* Ipecacuanhæ; *ſed, ſi vomitus nullus aderat, ſuadebat purgans ex* Rheo *Myrob. citr. & nitro.*

gerent, parum soliciti, num materies peccans

---

" *Fluxu post unum alterumve purgans non*
" *cessante, jubebat Venæsectionem institui:*
" *Si venæsectio nondum satis levaminis*
" *adferebat, denuo purgans fortius prioribus*
" *exhibuit, & quidem ex Tamarind. Rheo,*
" *fol. Senn. Syrup. Rosar. solut. cum Senn.*
" *& Manna.*
" *Peracta purgatione, sub vesperam ægris*
" *exhibuit Theriacam Androm. ad sudorem*
" *provocandum, utpote qui plurimum ad sa-*
" *nationem conferebat.*
" *Insequente die purgans iterabat ex Ta-*
" *marind. fol. Senn. Rheo, Syr. Rosar. so-*
" *lut. cum Senn. & Manna; & versus vespe-*
" *rum iterum Theriacam Androm. ut antea.*
" *Si jam æger adhuc adeo viribus valebat,*
" *ut novam Venæsectionem & purgationem*
" *ferre posset, hæc denuo remedia solebat re-*
" *petere; at plerique ita debilitati erant, ut*
" *Venæsectionem omittere cogeretur.*
" *Sequenti die, & dum aberant sympto-*
" *mata id prohibentia, dabat emulsionem ad*
" *sedanda & lenienda tormina, quæ fiebant*
" *ex Sem. Papav. Alb. Cydon. Amygd. dulc.*
" *Hordeo, cum Syrup. diacod. aqua Cinna-*
" *mom. Aut decoctum ex rad. Alth. Scorzon.*

" *Sem.*

cans evacuata, aut ſatis correcta ſit, nec ne?

---

" *Sem. Papav. Alb. Cydon. 4. Sem. frigid.*
" *Syr. diacod. aqu. Cinnamom.*

" *Si dolores augebantur, & omnia in pe-*
" *jus vergebant, præſcribebat Enema e lacte*
" *vaccin. dulc. vitell. ovor. oleo Amygd. dulc.*
" *rec. preſſo.*

" *Sed ſi animadvertebat, ægris manus*
" *& pedes incipere frigere, præcipiebat aliud*
" *Enema ex Theriaca cum lacte vaccino*
" *dulci.*

" *Opium parciſſime adhibuit, nec unquam,*
" *niſi ſumma neceſſitate urgente, cum tormi-*
" *na & fluxus cruentus nullo alio remedio*
" *ſedari potuerant, & tunc ſolummodo Lau-*
" *dan. liquid. Sydenhami cum aqu. Roſar.*
" *Menth. Major. cort. Citr.*

" *In diæta ſuadebat pro potu partem unam*
" *lactis dulcis cum tribus partibus aquæ plu-*
" *vialis coctæ, vel etiam notum decoctum al-*
" *bum: & pro cibo juſcula carnis ovillæ, vi-*
" *tulinæ, pullorum gallinaceorum, præterea*
" *quoque pultem ex hordeo decorticato, ory-*
" *za, farina Tritici cum lacte dulci coctis.*
" *Lac ebutyratum plane damnabat.*

" *Hac methodo ſe multos ægrotos ſervaſſe*
" *auctor adſeverat.*

ne? Unde certe nihil, quam certum incommodum poterat exſpectari, multiplici experientia id ſatis comprobante.

## §. LXXXVIII.

Inter innumera autem fere talia remedia, quæ circumferebantur, notabiliora, quæ mihi innotuerunt, erant ſequentia:

[a] Fuerunt, & quidem plebeji homines, qui nihil præter *frumenti ſpiritum* vel ſolum, vel cum pulvere *Nucis Moſchatæ* (*d*) vel cum *oleo Olivarum* maritatum, copioſe hauriebant, ejusque effectum ad curandum æque ac præſervandum commendabant;

Vix vero & non niſi certis ſub conditionibus admittendus erit ille ſpiritus ardens, ubi nimirum mitior Dyſenteriæ gradus, aut ſimplicior potius diarrhœa, a

---

(*d*) *Nux Moſchata aromatica roborandi & ſubadſtringendi virtute pollet, hinc in ventriculi & inteſtinorum laxitate, vomitu, diarrhœa, & dyſenteria ſpernenda non eſt, ſi juſto tempore adplicetur.*

*Medici Indici in ſua* Dyſenteria *eam ſæpius in uſum adhibent.*

a mala diæta & ventriculi inteſtinorumque tono labefactato, adeſt.

[b] Quidam ſumebant ſolum *oleum Olivarum* cum *Saccharo*, non infelici ſucceſſu. (*e*)

[c] Famoſum fuit remedium feminæ *Barths* dictum, quod in Dyſenteria Anni 1702. miracula præſtitiſſe ferebatur, conſtans ex *Sacchari* unciis duabus, *olei Olivarum* albi optimi, & vini rubri, *Pontak* dicti, ana unciis ſex, quæ mixta duobus hauſtibus

---

(*e*) Saccharum *multis hominibus, imo etiam nonnullis Medicis male audit, qui poſteriores ſæpius nimis ſevere, & vano ſane metu, ejus uſum ægrotantibus interdicunt, ob fermenteſcentem, aceſcentem & mucum augentem, uti volunt, potentiam.*

*Verum enim vero, ſaccharum, ut ſuccus vegetabilis acido-oleoſus, non ſolum ad faciliorem ciborum digeſtionem multum valet; ſed & animalia & vegetabilia a corruptione ſatis potenter defendit; præterea Saccharum, Becchero* muſtum denſatum *dictum, ob fermenteſcentem ſuam, acidam, vinoſam, & ſimul oleoſo-balſamicam vim, moderate aſſumtum, in morbis bilioſis reformidandum non eſt.*

bus mane & veſperi aſſumuntur; an meliori ſucceſſu, quam prius, non vidi.

[d] Alii *Nucem Moſchatam* cum *vino rubro & Ovo cocto duro* commendabant. Ancipitis ſane effectus remedium.

[e] *Semen Plantaginis* cum *aqua* ejusdem *deſtillata* adſtringendi ſcopo laudabant alii. (*f*)

[f] Ruſticorum nonnulli eundem in finem decoctum radicis *Tormentillæ* aſſumebant.

[g] Complures e vulgo maſticabant *cortices Granatorum*, alii eorum decoctum cum aqua factum hauriebant. (*g*)

[h] Alii ſumebant cochlear unum *ſeminis Cumini*, torrebant in vaſe terreo novo, ad rubedinem usque: huic addebant fruſtum *pomi Granati* arefacti, magnitudine denarii ſive ſchellingii, contundebant una

---

(*f*) *Decoctum* ſeminis plantaginis *cum lacte paratum, quidam pro remedio antidyſenterico venditant; dum alii teſtantur ſe illud ceu remedium domeſticum in hoc morbo perbonum cognoviſſe.*

(*g*) Corticis Granatorum *pulverem ad ſcrupulum unum pro doſi, bis vel ter de die ſumendum, maxime ſuadent alii.*

una cum ſemine Cumini, miſcebantque paulo *Saccharo bruno.* Hujus mixturæ ægris dabant dimidiam partem mane & dimidiam veſperi, quo ſumto jubebant bibere dimidium vitrum *lactis ebutyrati recentis*, & eo deficiente, eandem quantitatem *aquæ fontanæ*, addito præcepto, ut id quotidie continuaretur, donec malum ceſſaret. (*h*)

[i] Decoctum *corticum Quernorum* priorum loco ſumebant alii, itidem adſtrictionis ſcopo.

[k] Alii ſolum *Lac dulce* recens commendabant, ſi non optato, ſaltem meliori effectu. (*i*)

[l] Qui-

(*h*) Decoctum ſeminis Carui, *calide inſtar Theæ, loco potus ordinarii, cum vel ſine lacte adſumendum, aut ſaltem aliis interponendum, tanquam egregium anodynum, quam maxime commendant alii.*

Semen *vulgo* Santonicum *dictum laudant alii, licet diverſo fundamento.*

(*i*) *Celeberr.* Sydenham Lac dulce *aqua ſimplici multum diluere ſuadet, ita ut ad aliquot partes aquæ non niſi unica pars Lactis adhibeatur.*

*Ut autem Lactis coagulum impediatur, alii Saccharum adjiciendum ſuadent.*

*Ce-*

[1] Quidam *capita Papaveris albi* in *lacte* cocta ſuadebant, quo decocto ſumto fluxus

---

*Celeberrimum* Ludovicum, *Dyſenteriam epidemicam caſtrenſem, in exercitu graſſanſſantem*, Cera alba *in lacte calido liquefacta, totam exſtirpaſſe, refertur. Idem remedium etiam alii Medici caſtrenſes commendant.*

*Sunt qui panem* Cera *liquida illini, & jejunis pro jentaculo offerri jubent.*

*Alios* Cydonium *maturum excavatum*, Cera *alba vel citrina repletum & aſſatum, ægris comedendum, cum ſucceſſu, & pro remedio ſpecifico exhibuiſſe, hiſtoriæ narrant, vid* Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ann. VII. Obſ. 91. it. Dec. III. Ann. I. Obſ. 147.

*Et amicus quidam mihi retulit, ſe ipſum in Dyſenteria benigniore, & a ſpiritus vini abuſu orta, bonum ſucceſſum expertum fuisſe in opifice quodam, a* Cera *in moderata quantitate exhibita.*

*In Dyſenteria caſtrenſi Anni* 1635. *Medicos ceram albam in lacte dulci coctam calidisſime bibendam dediſſe, & ſi prima vice non ſubſiſteret fluxus, etiam ſecunda & tertia repetiiſſe, hocque remedio innumeros curatos fuiſſe, refert Celeberr.* Diemerbroeck in Obſervat. & Curat. Med.

*Con-*

xus quidem aliquamdiu ceſſabat, ſed poſtea majore cum vehementia redibat.

[m] Mulier quædam *Ligni Braſilienſis rubri* uncias duas in *Lactis* libris duabus per ſemiquadrantem horæ coquendam, & ejus colaturam propinandam commendavit, adfirmans hanc colaturam in Dyſenteria Anni 1702. multis profuiſſe. An experimentum nunc in noſtro morbo factum ſit, non comperi.

[n] *Lacti Album Græcum* incoquendum alii præceperunt, ac mirabiles inde effectus polliciti ſunt. (*k*)

[o] *Ar-*

---

*Contra in* Annal. Phyſ. Med. Wratlisavienſibus, *Anni* 1719. *pag.* 307. *legimus, nonnullos in malo Dyſenterico* Ceram Lacti *incoxiſſe, eoque inteſtina adeo obſtipaſſe, ut hujus ope animam miſere efflarent. Ejusmodi exempla ab aliis etiam notata legimus.*

(*k*) *Sunt, qui* albo græco *diſcutiendi & abſtergendi facultatem, & in* inflammationibus internis *effectum non contemnendum adſcribunt; hinc illius decoctum cum aqua, lacte vel cereviſia paratum, & percolatum, pauperibus Dyſentericis commendant, atque ex illius uſu plures curatos fuiſſe, referunt. Alii* album græcum, *tanquam ſpecificum, in*

[o] *Argentinam* cum *Lacte* dulci coctam & epotam nonnulli valde commendabant.

[p] Circumforaneus quidam hoc tempore adiit ad Ampliff. Magiſtratus, venditans ſe intra triduum ægros ſanaturum.

Secretum iſtius erat ejusmodi: *Argentinam* in *Lacte*, aqua diluto, coquebat, illique addebat nonnihil *Pollinis*, *Nucis Moſchatæ*, *vitellos ovi*, *oleum Olivarum* & *Saccharum*. Hoc potu adfirmabat malum ſanatum, ſeu potius fluxum adſtrictum iri;

Verum enim vero, omni ægrorum cura illi interdicebatur, quia peſſimæ & funeſtæ ſequelæ adſtringentium, experientia teſte, jam ſatis ſuperque notæ erant.

[q] Sunt qui e *Charta alba* in *Lacte* pultem coxerunt, ut ea inteſtina obducerent, opplerentque. Hoc remedium ex reliquiis Dyſenteriæ Anni 1702. reſtabat. Relatum enim audivi, homines tunc ſumſis-

---

*in* cholera *commendant. At in ruſticis, plebejis & dubiis hoc potius pono remediis; licet in clyſteribus, formulisque aliis, externe adplicandis, ejus uſum non plane rejicere velim.*

ſiſſe ſex plagulas papyri tenuiſſimæ, quam vocant *Poſt-papier*, easque teſſelatim conciſas in quatuor pintis lactis dulcis coxisſe ad reſiduum duarum pintarum, & hoc conditum chartaceum glutinoſum tunc profuiſſe crediderunt; at noſtro tempore plane contrarium evenit.

[r] Novi feminam Gallicæ nationis, quæ *plagulam chartæ combuſtam*, *vinoque Rhenano* mixtam, hauſit, & ſe bonum inde effectum ſenſiſſe prædicavit.

[ſ] Quidam *herbas vulnerarias adſtringentes* in *aqua calcis vivæ* coctas ægris obtulerunt, nullo bono ſucceſſu. (*l*)

[t] Alii

---

(*l*) *Ex his alii ſtudioſe* Millefolium *& quidem ejusdem Eſſentiam ſaturatam commendant, tanquam ſpecificum ad inhibendum fluxum dyſentericum, ejusque ope nonnullos dyſentericos ſanatos clamant.*

*In nimio fluxu hæmorroidum, ad illum cohibendum, certis ſub cautelis tuto quidem adhibetur; at in Dyſenteria vera longe aliter ſe res habet; hinc in hoc adfectu non alio ſcopo, quam reliquæ herbæ vulnerariæ adſtringentes, multa cum prudentia, in ſubſidium vocari poteſt.*

*Præcavendi quoque cauſa alii hanc Eſſentiam*

[t] Alii *panem toſtum & uſtum* pro arcano habuerunt, haud meliore exitu.

[u] Chirurgus quidam, quondam caſtrenſis, dicebat, in caſtris maximi uſus fuiſſe bolum ex *ſalis volatilis Succini*, *ſalis vol. Cornu Cervi*, *florum ſalis Armeniaci*, *Croci*, & *Opii* partibus anaticis paratum, fabæ magnitudine ter per diem ſumendum. Sed ſucceſſus ex eo felices non erant, nec tales eſſe poterant.

[x] Erat, qui ſuadebat *Pollinem* aquæ incoquendum, eique contritam *Macidem* (*m*) addendum, & de hac *pulte* ſingulis horis cochleare unum ſumendum eſſe. Hoc pultis genus adfirmabat abhinc aliquot annis in Noſodochio Silvæ ducis uſurpatum fuiſſe.

[y] Quædam femina in hac urbe conſilium dabat vicino ſuo, ut tali pulte *triticea* uteretur, & æger ex ejus uſu convaluit. Eandem & alteri ſuadebat, ſed hic diem obiit. Cum jam & ipſius maritus eo-

---

*tiam valde laudabant; ſed effectus prophylacticus fuit nullus; nam nullum inde contra Dyſenteriam tutamen.*

(*m*) Macis *easdem cum Nuce Moſchata vires obtinet, ſed penetrantior eſt.*

eodem morbo corriperetur, ſcientiæ ſuæ diffiſa me arceſſivit, maritusque reſtitutus eſt. Idem & aliis accidit, ut conſilium alteri darent, ipſi ſibi conſulere neſcirent.

[z] Alii tanquam ſingulare laudabant hoc migma. Rec. tria cochlearia *farinæ Hordei*, tria cochlearia *Sacchari albiſſimi*, libram unam *aquæ Roſarum*, duas libras *Lactis dulcis*, coquuntor & bibuntor.

[aa] Alii ſuadebant, ſumendos eſſe duos *renes ovillos*, æquales partes *ſebi ovilli*, drachmas ſex *Cinnamomi*, (*n*) hæcque in

---

(*n*) *Ob aromaticam ſuam virtutem putredini reſiſtendi, & viſcerum tonum labefactatum roborandi, facultate præditum eſt* Cinnamomum; *hinc maſticando tota die* Cinnamomum, *& deglutiendo ſalivam illam, a diarrhœis & languoribus ſtomachi cum* Dyſenteria, *quosdam brevi ſanatos fuisſe declarat* Baglivius.

*Alii laudant decoctum ex corticis* Cinnamomi *unciis duabus, Sacchari candi uncia una cum dimidia, & Lactis dulcis menſura una, ad remanentiam menſuræ dimidiæ, ut quavis hora duo vel tria cochlearia propinentur.*

in quatuor pintis *Lactis dulcis* coquenda & haurienda esse.

[bb] Alii tantum *sebum ovillum*, aut *candelam sebaceam* in *Lacte dulci* coquebant, aut accensam *candelam lacti* instillabant, quo facto lac versatum ebibebant.

[cc] Alii laudabant *panem album* adhuc *calidum*, *oleo Olivarum* imbutum, & comestum.

[dd] Alii præmisso purgante *rhabarbarino* aliquot drachmas *Theriacæ* in *vino calido* dabant, jubebantque, ut æger se in lecto componeret ac fortius sudaret, id quod quibusdam profuisse perhibetur; in diarrhœa, ut opinor, simpliciori potius, quam in vera Dysenteria.

[ee] *Cerevisiam recentem* multos sanasse fama ferebat.

[ff] Rustici quidam nil nisi *Lac ebutyratum* ejusque *serum recens* calefactum biberunt, & hoc solo remedio sese sanatos esse gloriati sunt, ejusque effectum summis extulerunt laudibus, idque non sine ratione, ut supra jam demonstravimus.

[gg] Et ab amico, Medico, didici, ipsum olim *Diarrhœam* pertinacissimam, *gryseam*, striis sanguineis intermixtam, *solo Lactis recentissimi ebutyrati*, cui multa *butyri frusta* innatabant, usu

per-

percuraſſe, quæ nullis aliis remediis cedebat.

[hh] Ab eodem amico mihi relatum eſt, *principium mali dyſenterici a fructibus* ingeſtis, ac tormina ventris inde orientia, *Helvetium*, Practicum haud ignobilem Hagæ Comitis, olim feliciter ſanaſſe, *caſeum veterem* exhibendo.*

[ii] Medicus exterus tanquam remedium probatum ſuæ inventionis ſummis laudibus extollebat ſequens decoctum: Rec. *aquæ* & *lactis* ana menſuram unam, *florum Papaveris erratici* manipulos duos, *Terræ Catechu* drachmas tres vel quatuor, *Nucis Moſchatæ* numero unam, *Cinnamomi* unciam unam cum ſemiſſe, *Macidis* drachmam unam: coquantur una ad reſiduum trium partium, decantatis addantur *vitelli ovorum* numero duo, &, ſi placet, parum *Sacchari*; mixta propinentur ægris, quantum adpetunt, non pauca doſi, ſed integris catinis, qui ultra dimidiam lagenam capiunt. Hoc remedio ſanavit propriam uxorem, quæ mor-

---

* *In diarrhœa bilioſa* caſeum *cum vino rubro maceratum & iterum exſiccatum jam diu propoſuit* Sennertus.

morbum per contagium hic excepit, & in itinere domum reverſura adflicta fuit. (*o*)

§. LXXXIX.

---

(*o*) *Pauca adhuc addere licebit: ſic inter ſpecifica, acre dyſentericum corrigentia enumerant alii* Priapos cervi & tauri, *inprimis vero* ceti, *quos exſiccatos vel in pulveris forma, a drachma ſemis ad drachmam unam exhibendos, vel ſub decocti ſpecie, tam pro potu ordinario & remediorum vehiculo, quam pro emulſionum liquore propinandos valde commendant.*

*Sunt vero* priapi illi *nil niſi concretum mucilaginoſum, medium quaſi inter cartilagines & oſſa, hinc decoctum ex illis paratum vix melioris ſucceſſus ſpe adhibendum mihi videtur, quam gelatina ex iisdem animalibus confecta.*

*Amicorum quidam mihi* os ſepiæ *in tenuem pulverem redactum, atque lacte & aqua coctum, diligenterque agitatum, & ſic propinatum, tanquam adprime utile remedium commendavit; eſt illud quidem abſorbens & præcipitans valde potens, ſed quia ſimul adſtringit, cautius uſurpandum erit.*

*Radicem* Pimpinellæ albæ *in decocto vel pulvere adſumtam, ad alvi fluxum compe-*

*ſcen-*

## §. LXXXIX.

Quis vero omnes illas inventiones, tentamina, conſilia & auxilia recenſere poterit,

---

*ſcendum ſpeciatim conducere iis, qui febribus ſimul tenentur, quique inteſtinorum inflammatione laborant, alibi legimus.*

*Radicem* Gratiolæ *in forma pulveris a drachma dimidia ad ſcrupulos duos propinatam in diarrhœis & Dyſenteriis omnis generis vires, illis Ipecacuanhæ exacte reſpondentes exſerere, ex relatione Celeberr.* J. G. H. Krameri *legimus in* Commerc. litt. Anni 1738. p. 17. *& Conferri hac de re merentur obſervationes Celeberr.* Boulduc in Hiſtor. & Commentar. Academ. Reg. Scientiar. Pariſ. Anni 1705.

*At quid tandem dicam? nullus fere eſt morbus, in quo plura remediorum genera, quam in hoc, commendata legimus.*

*Et licet animo hoc non intendamus, ut cujusquam medicamenti viribus & virtutibus veris aliquid detrahamus, modo votis reſpondeat effectus: Attamen ſæpe illas res, quæ remedii nomine commendantur, ſanitati & vitæ infenſiſſimas eſſe deprehendimus.*

*Hinc ex tanta rerum multitudine ea tan-*

rit, quæ hominum induſtria ad ſanitatem recuperandam excogitavit?

Eſt quidem unum alterumve horum remediorum, quod indicationi aliquo modo conſentaneum eſt, & quod certis ſub circumſtantiis ægroto opem ac levamen adferre poteſt; ad curam tamen rationalem

---

*tum eligenda remedia judicamus, quæ rationali medendi methodo preſſius ſatisfaciunt.*

*Sicuti enim Dyſenterias epidemicas alio anno vehementiores, alio mitiores eſſe deprehendimus, ſic aliquo tempore minimus error ægrotis vel morte dependendus erat, altero vero varia empirica medicamenta, aut præpoſtera ſine tanto vitæ periculo adhibita fuiſſe legimus.*

*Serio itaque cohortamur Medicum, ut nihil temere tribuat opinioni, ſed eo majori cum judicio ac prudentia utatur remediis, quo magis urgens eſt malum, nec multa experimenta incerta patitur.*

*Hanc tandem cautelam addimus:* quo majore vi aliquod pollet medicamentum, ſi non ſumma cum cautione adhibeatur, hoc magis noxium edere effectum.

Clava Herculis non valet niſi in manu Herculis.

lem veræ Dyſenteriæ minime ſufficere quibit;

Benignitati potius morbi adſcribendum erit, ſi tentamen tale empiricum, ſufficienti ratione ac multiplici experientia deſtitutum, in uno vel altero ſubjecto ſucceſſit. (*p*)

Me-

---

(*p*) *Multa ſane ruſtica & ineptiſſima ſparſim ab Auctoribus enumerantur remedia, quibus Dyſenteriam curatam declarant.*

*Sic Celeberr.* Diemerbroekius in Obſervat. & Curat. Med. *annotavit exemplum juvenis robuſti, qui tempore graſſantis Dysenteriæ ex avaritia, & quod noluit a Medicis auxilia petere, proprio conſilio infuſum ex* Tabaci *ſemi uncia & cereviſia tenui paratum, uno hauſtu ebibit, indeque magna evacuatione variorum humorum, maxime* bilis flavæ ac viridis, *ſurſum & deorſum ſimul ſecuta, hoc ſolo catapotio a Dyſenteria in totum liberatus fuit.*

*Duos alios adhuc ruſticos tunc temporis Dyſenteria laborantes eodem remedio fuiſſe ſanatos idem refert Auctor; at ſimul monet alios, ne facile hujus experimenti periculum facere velint.*

*Ab amico per litteras accepi, ſororem cu-*



*jus-*

Medicus vero rationalis cum ex tam incertis atque etiam plerumque incongruis, ne dicam ineptis tentaminibus, vix certi quid ſperare, aut ſibi polliceri poſſit, hinc illa lubentes miſſa facimus, contenti *noſtra methodo*, cui *Deus T. O. M.* etiam ita benedixit, ut ejus clementiam publice deprædicare, nos maxime obſtrictos profiteamur.

## §. XC.

Poſtremo coronidis loco addam *Conſilium* alterius *Medici exteri*, quod ad quandam Matronam perſcripſerat. Monitum tamen cupimus Lectorem, cogitet, ejusmodi conſilia, ab Eruditiſſimis etiam Medi-

---

*jusdam ſibi familiaris Dyſenteria laborantem, cum jam depoſitæ ſalutis eſſe videretur, a matre enixe petiiſſe, ut, quoniam fatente ipſo Medico ſibi moriendum eſſet, mater ipſi pro ultimo miſſo* farcimen e carne ſuilla factum & fumo duratum *adponeret, quod mater vix exorata fecit; & convivio hoc confecto ſtatim Dyſenteria ceſſavit, & ægra inſequente die e lecto, cui adfixa hæſerat, ſurrexit, & intra paucos dies convaluit, ſumma cum Medici & omnium admiratione.*

dicis conſcripta, ut plurimum talia eſſe, qualis fuit relatio & confeſſio conſulentium; itaque ſi ſcopus non ubique nec ſemper attingitur, id relationi minus accuratæ potius, quam conſultori, adſcribendum erit.

Conſilium vero ex gallico ſermone latine redditum, hoc erat: „ *Dyſenteria*, " quemadmodum omnes reliqui morbi, " tractanda & ſananda eſt pro *cauſa* mali, " quæ eam produxit.

" In *Dyſenteria epidemica* communiter " obſervantur duo cauſarum genera, aut " *inflammatio inteſtinorum*, aut *materies* " *acris*, *rodens* & *corroſiva*.

" Prior curanda eſt per *Venæ ſectiones* largas, " iteratas, prout ſunt aut dolores aut " vires ægroti; per *cataplaſmata emollientia*, " *anodyna*, per *diætam refrigerantem*, " *diluentem*, per *clyſteres leniores* & ſæpius " de die adhibitos. In hoc caſu omnia *emetica* " & *purgantia* ægrum enecant.

" Contra, ſi Dyſenteria habet pro cauſa " materiem corroſivam, e veſtigio id agendum, " ut inteſtina liberentur hac acrimonia " per purgantia lenia, iterata, uti etiam " per vomitoria.

" In purgantibus *Rhabarbarum* eſt unum " ex optimis & præcipuis: primis duabus " tribusve vicibus poteſt exhiberi ſimplici-

" ter *infusum* cum exigua quantitate *Man-*
" *næ* in aqua communi; hoc facto *substan-*
" *tiam* ejus præfero; si post hujus usum do-
" lores & sedes minuuntur, usurpo *Rha-*
" *barbarum tostum* & in fine *assatum.*

" Inter emetica *Ipecacuanha* est tutissi-
" mum; ea utendum est, antequam vires
" ægri sunt prostratæ: dosis pro adulto est
" drachma semis seu grana triginta, pro
" juvenculis X. XII. annorum ad grana
" quindecim, pro parvulis IV. aut VI. an-
" norum quinque vel sex grana, cum cau-
" tela necessaria, & vulgo in emeticis ob-
" servata.

" Interea non negligendus est usus emol-
" lientium & anodynorum; hoc scopo
" *emulsiones Amygdalarum* admodum com-
" mendantur cum *semine Papaveris*, uti &
" *oleum*, inprimis *Amygdalarum dulcium*
" recens, *sperma Ceti* & gummata sine sa-
" pore, qualia sunt *Tragacantha*, *Arabicum*,
" &c. *Clysteres* sunt etiam magni usus, fa-
" cti ex *terebinthina*, *lacte*, *aqua* & *vitello*
" *ovorum.* Hæc omnia adplicanda sunt
" tempore dolorum.

" Ubi illi aut jam bene diminuti sunt,
" aut cessarunt, & fluxus adhuc non desi-
" nit, recurrendum est ad *adstringentia*,
" quæ, cum morbus est in suo furore &
" dolorificus, certe interfectura essent æ-
grum.

" grum. *Cortices Granatorum*, *Corallia rubra*, *terra Catechu*, & multa alia ſunt
" valde proficua; ſoleo ſemper iis admiſcere quædam grana *Rhabarbari toſti*,
" præ metu, ne remaneant quædam reliquiæ materiei.

" Quod reliquum eſt, Medicus exercitatus in praxi debet dirigere remedia pro
" natura ſymptomatum, & interdum adhibere præparata ex *Opio*: ſed quia hæc
" non ſunt remedia pro unoquoque, non audeo ea commendare.

" Hæc pertinent ad Medicum, qui vidit & videt ægrum, ut judicet de tempore,
" quo exhibenda ſint, & de doſi, & de præparatione; his rite penſitatis illa tunc
" dicta cum prudentia utiliter poſſunt in uſum adhiberi;

" Iterum idem obtinet in quibusdam *purgantibus*, quæ non poſſunt, neque debent
" in vulgus proponi, ideo, quod iis tantum mali, quantum boni, adferri poteſt.

" Nam ſi Dyſenteria non cedit ordinariis remediis, auxilium petendum ab extraordinariis,
" quæ neceſſaria cum dexteritate adhibita optimum ſucceſſum nanciſcentur.

§. XCI.

## §. XCI.

Tandem de *morbo dysenterico*, qui *Anno* 1702. ob castra militaria, in vicinia nostra posita, epidemice hic grassatus fuit, cum nullus Medicorum, illo tempore viventium, superstes sit, qui de indole & cura mali istius nos docere possit, sicuti hoc in præfatione nostra jam indicavimus, hinc tantum e catalogis formularum, qui in pharmacopoliis asservantur, colligere potui, illum cœpisse sub initium *mensis Julii* & ad finem *Novembris* durasse.

Porro e dictis formulis præscriptionum patebat, *medendi methodum* tunc fuisse hanc: ut, præmisso pulvere *Rhabarbari*, vel solo, vel cum *Nuce Moschata* mixto, vel etiam cum *resina Jalappæ* addito e *Mercurio dulci stimulo*, (*q*) atque uno vel altero

---

(*q*) Mercurium dulcem *jam ante multos annos plures Medici tanquam non fallens medicamentum antidysentericum laudaverunt, dum putabant hunc morbum* per vermium insecta *excitari originemque ducere; quare etiam plures de ea re historiæ apud scriptores commemoratæ leguntur, simulque venditatur, hunc morbum ope* Mercurii *esse su-*

ro grano *Laudani opiati*, ſtatim ad adſtringentia modoque dicta opiata tranſirent;

Et

---

*ſuperatum, & quidem multo citius, ſi* Mercurium Rhabarbaro mixtum *præſcripſerint.*

*In hujus ſententiæ favorem ſpeciatim* Boyle, *occaſione Dyſenteriæ pertinacis, quæ præſtantis Medici remediis non ceſſerat*, Mercurii dulcis *virtutem in hoc malo laudat ſequentibus verbis:*

„ *Memini me* Mercurii dulcis *virtutem* „ *in* pertinaci Dyſenteria *obſervaſſe, quæ* „ *præſtantis Medici remediis non ceſſerat:* „ *quamvis autem virtus ipſa acres hu-* „ *mores mitigandi, putrefactionique reſi-* „ *ſtendi, quam huic ineſſe medicamento* „ *probe noram, meam de eo opinionem fa-* „ *cile confirmarit, cum tamen rem nondum* „ *ſat me expertum crederem, mentem ape-* „ *rui Celeberrimo ſummi exercitus præfecti* „ *Chirurgo, qui ingenue mihi dixit*, Mer- „ curio dulci *tanquam magno* arcano *cen-* „ *tenos ſe aliquot milites in exercitu curaſſe:* „ *hoc tantum intererat diſcriminis, cum* „ *octo, decem, duodecim, aut quindecim* „ *ad ſummum grana* Mercurii dulcis una „ cum modico Rhabarbaro, *aliove quo-* „ *piam, ut bis terve patiens inde dejice-*

„ *ret*

Et quidem in illis præcipua erant *aquæ Plantag. Menth. Cinnamom.* &c. *Cinnamomum* in ſubſtantia, *terra Catechu* in pulvere,

---

„ *ret catharctico, in doſim darem: Vid.*
„ *Tract.* de uſu ſimplicium Medicamento-
„ rum, *cap. VI.*

*Verum enim vero, alii non minus celebres Medici in contrariam abeunt ſententiam, ſtatuentes* Mercurium dulcem *ab admixtione acris dyſenterici magis adhuc cauſticum reddi, minimeque adprobatum & conveniens huic morbo eſſe remedium.*

*In morbo ſporadico, & infantibus, ubi vermes ortum morbo præbent,* Mercurium dulcem *in uno alterove adflicto adhibere quidem licet.*

*In malo autem epidemico, cum adhuc ſub judice lis ſit, an vermes in aëre volitantes, aut a dyſentericis rejecti, cauſam hujus mali epidemici procatarcticam conſtituant? tam diu ab illius uſu abſtinendum putamus, donec prius ſolidius, quam ſimplici conjectura, demonſtratum erit, revera viſos, aut in flagranti delicto deprehenſos eſſe dyſentericos illos vermiculos, imaginando creditos, antequam methodus medendi ad hanc hypotheſin tuto & cum ratione inſtitui poſſit.*

re, *Tinct. Catechu*, *Tinct. Hæmatit. Tinct. Cinnamom. Sanguis draconis*, *Corallia rubra*, *Terra ſigillata*, *Cornu Cervi uſtum*, *Rhabarb. toſtum*, *Nux Moſchata*, *rad. Tormentill. fol. Argentar. Confect. Hyacinth. Cortex Peruv.* (*r*) *Winteran. Creta alba*, *Syr. Roſar. Rubr. Syr. Cydon. Syr. Myrtillor. Balſ. Lucatell.* &c.

In

---

(*r*) Corticem peruvianum *contra Diarrhœam*, *Dyſenteriam ac aliam quamcumque Epidemiam*, *egregie valere*, *eoque dejectiones alvi cruentas*, *crudeliſſimosque dolores ventris conquieviſſe*, *illumque ad febrem profligandam æque ac ad tonum ventriculi & inteſtinorum reſtituendum*, *maxime inſervire*, *cum* Mortonio *nonnulli teſtantur Medici*, *& quidem drachmam unam pro doſi quotidie mane & ante ſomnum hauriendam.*

*Aſt ab amico certior factus ſum*, *ultimo belli tempore Chirurgos quosdam caſtrenſes ex corticis hujus uſu*, *vel forſan abuſu*, *multos cohortis ſuæ milites letho dediſſe; hinc caute cum hoc remedio procedendum quam maxime commendamus*, *inprimis*, *cum alii Medici ejus in his morbis noxam jam jam annotarint.*

In his vero *Laud. opiat. Tinct. anod. Theriaca, diascord. Fracast. Mass. pil. de Styrace, Syr. Papav. rubr.* & *alb.* &c.

Quibus interdum adjungebant *Nitrum purum*, vel *antimoniatum*, *Antim. diaph. lap. cancror. Sal. vol. oleos. Bals. sulph.* interposita rarius *gelatina Corn. Cerv.* & *mucilag. sem. Cydon.*

Tandem *clysteres* ex *fol. Argent. flor. Chamom.* (*s*) *Melilot.* &c. cum *lacte* præparatos, addita *Terebinth. venet.* &c. Sed non adeo frequenter, præscribebant.

In quo vero ægrorum statu horum quodlibet speciatim in usum vocatum sit, non poterat conjectura determinari.

---

(*s*) Flores Chamomillæ *in forma infusi Theæ pro potu ordinario anodynum egregium constituere adfirmant alii.*

## C A P. IV.

### *Complectens Prophylaxin seu methodum præservativam Dysenteriæ Biliosæ.*

### §. I.

POstquam tantum de hoc adfectu dixi, quantum ad cognoscendum & curandum eum sufficere potest; Nunc quædam de *modo præservandi* superioribus erant adjungenda. Medici enim officium est, non solum corporibus adfectis opem ferre, sed etiam sana a morbis, quantum fieri potest, præservare.

Tutius etiam imo optabilius est, morbum futurum arcere, quam præsentem expellere posse.

### §. II.

Et sane *nostri cives* haud minus de præservativis, quam de curativis remediis solliciti erant. Quilibet hunc morbum horrebat, & se ab illius invasione munire studebat. Hac mente & a domesticis & ab exteris Medicis auxilium petebatur, multaque consiliorum erat copia. Quilibet pro captu & ingenio suo arma suppeditabat ad-

verſus imminentem hoſtem, nomine tenus tantummodo ſibi ſæpius notum, minime vero intime, & ſecundum ſuum genium perſpectum, hinc ea, ut propius examinemus, neceſſe erit.

## §. III.

Antequam autem progrediamur expoſituri, quid nos aliique in hunc finem ſuaſerint, prius quæſtio erit expedienda, *num* revera etiam in rerum natura *dentur remedia* adeo potentia & efficacia, quæ a morbo contagioſo *præſervare* queant? ſi enim ex. gr. homo ſanus ingrediatur cubiculum, ubi decumbit ægrotus, morbo contagioſo laborans, ille, experientia teſte, in periculo verſatur, ne eundem morbum ſuſcipiat.

Ubi vero ſanus ille homo hoc miaſma contagioſum ſuſcepit, & e veſtigio ac mature conſilio & remedio utitur, quæritur, annon venenum illud exſtingui poſſit, antequam in corpore radices agat, aut vires ſuas exſerere queat?

Iterum hic in utramque partem diſputatur; quod alii adfirmant, alii negant.

## §. IV.

Ut vero mentem meam paucis exponam, di-

dico, *Medicinam rationalem* omnino exigere, ut in omni morbo, contra quem nos munire ſtudemus, ad illius *phyſicam* & ſpecificam cauſam reſpiciamus, eique *phyſice contraria* opponamus.

Hinc omnium *formularum præſcriptiones* pro baſi expoſcunt talia corpora phyſica, qualia experientia nos docuit, in hoc vel illo morbo directe & ſpecifice infringendo debellandove, præ cæteris ſingulari præſtare virtute.

## §. V.

In hoc certe maximus Praxeos Medicæ vertitur cardo; & ſecundum hanc noſtram hypotheſin *nos eadem methodo iisdemque remediis corpus noſtrum a malo liberum ſervare poſſe* opinor, *quibus eidem malo jam in corpus illato, medelam adferre valemus.* Quod enim poteſt efficere majus, poteſt etiam minus, uti loquuntur Philoſophi.

## §. VI.

Si itaque datur remedium adeo efficax, quod per corpus diffuſum potens ſit, *orto jam morbo* reſiſtere, illumque profligare, debet etiam illud tanto magis valere, ad ſuſcepti mali morboſi *principium* enervan-

dum, exſtinguendum, compeſcendum; ejusque ulteriores progreſſus inhibendum, ne ſequatur effectus, qui alias ex illo ſequeretur.

## §. VII.

Si autem remedium in ipſo morbo nullis pollet viribus, non video, quo pacto ejus impetum præcavere vel avertere queat.

Nullum enim eſt dubium, quin *omnia venena & contagia ſua habeant antidota oppoſita*, ſi modo ſemper vera & certa illa inveniantur, & juſto tempore ac modo adplicentur

## §. VIII.

Secundum principalem hunc ſcopum, *quod* nimirum *iisdem remediis præſervari debeat, quibus curatur morbus*; graſſante hac lue omnibus, qui meo conſilio utebantur, præſervandi fine eadem remedia ſuaſi, quæ adhibebam in ſanatione.

Nempe *ex pharmaceuticis*, ut ſingulis diebus matutino, vel etiam quocumque diei tempore, cochlear unum vel alterum *Tincturæ Rhei* ſumerent, monuimus.

Hæcque Tinctura ſola, teſte experientia multiplici, ita efficaciter apud nos ſe geſſit, ut eandem utique pro *primo* & *primario ac omnium optimo*, quicquid alii ſentiant, *præſer-*

*ſervandi remedio* habuerim; proinde & ipſe eandem, nec quodquam aliud remedium pharmaceuticum per totum contagionis intervallum adſumſi.

Interdum tamen etiam apud alios interpoſui *Rhabarbarum* in ſubſtantia, *cum* vel *ſine nitro*, pro ratione ſubjecti;

Si vero inſtans mali adſultus metuendus erat, *Ipecacuanham* vel ante, vel poſt *Tincturæ Rhei* uſum adhibui, prout nimirum laborantium conditio hoc, vel illud, vel utrumque, expoſcebat. (*t*)

§. IX.

---

(*t*) *Reticendum hic non eſt, plures tunc temporis dubios factos fuiſſe, cum ægris, morbum præcavendi gratia, emeticum vel purgans tempeſtive adſumendum, ſuadebatur, & quidem ſpecioſo monito:* corpus quietum non eſſe movendum.

*Sed vanus eſt ille metus. Pharmaco enim hauſto morbus non accitur, nec inducitur, ſed, ubi fomes aliquis in corpore timetur, aut jam actu latet, ille quantocyus ejicitur, malumque in ſua herba jugulatur.*

*Si vero contingat, ut fluxus dyſentericus pharmacum hauſtum inſequatur, tunc contagium jam intra corpus delituit.*

*Poſſunt enim miaſmata maligna nonnun-*

## §. IX.

Ex *diæteticis* alimenta facilis digeſtionis & boni ſucci nutritii, item *acida*, *ſuccus Citri*, *Ribeſior. Berber. acetum*; ex potulentis vero *vinum Rhenanum* & *Moſellanum* maxime conducebant. Hoc ſuaſi omnibus bibendum, ejusque modeſtum uſum ubique ſalutarem inveni, nec ipſe alio vino uſus ſum.

Deinde exactum regimen quoad *motum*, *potum*, *calorem*, *animi pathemata* &c. commendavi.

## §. X.

Porro cum exhalans illud ab excrementis contagium ope *aëris ſalivæ* noſtræ ſe facile inſinuare, & per hanc ad ventriculum deſcendere, eoque pacto corpus inficere queat, ſemper ſolebam ægros inviſens *ſalivam* ſucceſſive prolectam *copioſius projicere*,

---

*quam diu in corpore latere, quæ, cauſa quadam occaſionali accedente, facile in actum deducuntur.*

*Hinc tantum abeſt, ut evacuans præſervandi gratia adſumtum nocere poſſit, ut potius ſemper bonum effectum edere debeat.*

*re*, ne virus intra corpus receptum ibidem nidularetur. (*u*)

## §. XI.

Quoſcunque *fructus horæos* monui *vitandos*, non quod illis noxæ cauſam directam tribuebam, ſed ne daretur anſa ſuſpicandi adeſſe Dyſenteriam, ſi forſan ex eſu fructuum alvus laxior ſequeretur.

Tan-

---

(*u*) *Quamvis* infectiones contagioſæ per varias vias, *ex. gr. cutis ſpiracula*, *veſicularum pulmonalium poros*, interiora corporis humani ſubire poſſint, *attamen* ſalivalis latex *ad eas recipiendas præ aliis idoneus eſt; hinc ſalivæ illius projectio copioſa contra omnes contagioſe graſſantes morbos naturale & optimum eſt, ut ita dicam, præſervativum; in quem finem etiam in ore continenda conveniunt ea, quæ maſticatione ſalivæ fluxum ſine incommodo ciere apta ſunt; qualia ſunt rad. Helen. Angel. Imperat. Pimp. alb.*

*Nec minoris momenti eſt cautela*, neque cibum neque potum in locis adfectis *capere, eo quod ſaliva miaſmate virulento imbuta hac ratione facile corpori communicatur.*

Tantum enim abfui, ut crederem, ab illis morbum contagiofum ortum aut oriturum, ut non folum ipfe illis toto contagii tempore, modice licet, ufus fuerim, fed & fermentationem fructuum acidam contrariam judicarim fermentationi alcalinæ, ortæ e miafmate biliofo-dyfenterico: quid quod hiftoriæ proftent, ubi in *Dyfenteria epidemica*, *biliofa*, contumaci, narratur *uvas* & *muftum*, exftitiffe optimum remedium antidyfentericum, irritis omnibus aliis; illisque folis multos a Dyfenteria maxime defatigatos reftitutos effe; vid. *Ephem. Nat. Cur. dec. II. A. X. obf.* 192. (*x*)

§. XII.

---

(*x*) Fructus horæi *dulces*, *recentes*, *maturi nemini facile nocent*, *fed potius propter amicum eorum acidum vegetabile naturæ noftræ gratiffimi*, *ac* divinum *fane funt* donum *illis*, *qui iisdem recte utuntur*.

Uvarum *præprimis ufus*, *imo infignis abufus diarrhœam quidem producere poteft & folet*, *fed Dyfenteriam veram vix unquam*.

*Hoc non folum propria fæpe experientia doctus adfirmare poffum*, *uti & de omnibus*, *qui liberalem* uvarum *ufum fibi indulferunt*; *verum etiam cuncti*, *qui in terris vitiferis unquam degerunt*, *aut nunc degunt*, *mihi adfentientur*.

„ *In-*

## §. XII.

Interea ob nimium *vulgi abuſum*, quod in nulla re modum ſervare novit, ſed per abu-

---

„ *Inauditum eſt, tempore vindemiæ ab*
„ *intemperatiſſimo* uvarum *uſu aliud quid-*
„ *quam oriri, quam ſimplicem diarrhœam,*
„ *non Dyſenteriam, ſecundum* Celeberr.
„ Sam. Carlium Spec. Theor. Med. pag.
„ 297.

*Imo, quod poradoxum quibusdam videbitur, in Dyſenteria bilioſa epidemice graſſante ægros ſumme debilitatos, & ad incitas jam redactos, proprio conſilio & ſuadente adpetitu, nihil proficientibus omnis generis remediis, miſſis illis* uvas recentes *avide ediſſe, ſolisque his ſalutis & ſanitatis recuperationem attribuiſſe legimus.*

*Idem refertur de* muſto, *cujus uſus, omnibus medicamentis incaſſum adhibitis, ſalubre contra hunc morbum exſtitit remedium, ejusque rationem eſſe exiſtimant, quod exinde facile nova fermentatio, fermentationi dyſentericæ contraria orta fuerit. vid.* Ephemer. Natur. Curioſ. dec. II. Ann. X. Obſ. 192.

*Sic porro* Cucumeres *vel recentes, cum ace-*

abusum malum irritare & augere potest; *Edicto Magistratuum* proposito illi fructus prohibiti sunt.

Deinde, cum *omnes occasiones* amovendæ sint, quibus aër excrementorum fœtore vitiari & contagium propagari possit, *Ampl.* porro *Magistratuum* laudabili *mandato* civibus nostris injunctum est, ut *puritati platearum* invigilarent, easque ab omni sor-

---

*aceto, sale, pipere, & oleo olivarum more solito confectos, vel etiam acida muria conditos, diversis ægris, diversis in locis degentibus, remedium antidysentericum exstitisse recensetur in* Annal. Med. Phys. Vratislav. Ann. 1719. pag. 443.

*Aliquando a verbi divini Ministro relatum accepi, ipsum, cum in Academia litteris operam daret, e Dysenteria epidemica grassante gravissime ægrotasse, nec ex ullius remedii usu levamen percepisse. Forte autem fortuna ipsi submissa fuisse* Ribesia rubra matura, *iisque visis tanto illa comedendi adpetitu se esse correptum, ut intra duas horas, & quidem matutino tempore, ab hora septima ad nonam, ultra tres eorum libras comederet; quo facto se insequenti die malo liberatum senserit.*

ſordium & excrementorum illuvie repurgarent, nec quisquam *expurgamenta* aut *feces ægrorum* in vias publicas effunderet, ne hoc modo prætereuntes contagium contraherent.

Ad *lacunas* vigiles adponebantur, ne quis ſordes in easdem projiceret.

Præterea omnes domos perquiri juſſerunt, & in quibus *latrinæ* deerant, eorum dominis ſerio mandatum eſt, ut illas intra ſtatutum tempus fieri curarent; ita ut jam nulla domus ſit, ubi non inveniantur.

Quilibet inſuper *mortuos* intra triduum ſepelire jubebatur.

## §. XIII.

Quibus *pauperum* cura demandata erat, monebantur, ut res neceſſarias ex ærario pauperum largius ſuppeditarent; aliaque ſalutaria ac ſumma laude digna inſtituta ſunt, ut meliora proponi tali temporis conditione non potuerint.

Plures etiam primariarum *matronarum* ingentes ollas *juſculentorum* parari, & inopibus quotidie diſtribui curarunt.

## §. XIV.

Nullum vero inter præſervativa præſentius & certius eſt remedium quam *fuga*.

Sed non ſolum *infectos* hac lue, eorumque conſortium, at & *omnes, qui cum illis commercium habuere*, *fugere* debemus; inprimis etiam *latrinas* & *ſellas* vitare, in quibus iidem deſederunt; omnesque *excrementorum* halitus, quantum fieri poteſt, cavere. (*y*)

§. XV.

---

(*y*) *Hinc quisque ſibi caveat, ne ſedes dyſentericorum* minus caute inſpiciat.

*Porro monent Medici, ne illi, quibus commercium cum ægrotis eſſe debet, cum his veſcantur, nec ex uno potum hauriant vaſculo, neve in eodem concumbant lecto, neve ſedeant in loco, ubi conſedit dyſentericus; vid. plura in Commer. litt. Norimb. Ann.* 1736. *p.* 377.

*Obſervatores etiam volunt, per* fiſtulam clysmaticam, *quam adhibuerat dyſentericus, Dyſenteriam in corpus ſani eſſe transfuſam, inſtrumento non bene abluto; quæ obſervatio minime negligenda eſt.*

## §. XV.

Huc maxime facit *ſeparatio ægrorum a ſanis.*

In omnium morborum contagioſorum principe, nimirum *Peſte*, videmus, eam nullo remedio promptius & certius exſtirpari poſſe, quam hac *ſanorum ſejunctione.*

Hæc eſt res maximi momenti & conſiderationis, ac in hoc fere ſolo latet omne *arcanum* contra quosvis *contagioſos morbos*, ut in ſuo ortu & origine opprimantur. *

Nam ſi ad morbum contagioſæ indolis ani-

---

* *Celeberr.* Storchius *in ſuis Obſervationibus clinicis ad Ann.* 1728. *tanquam rem notatu dignam allegavit, in Dyſenteria eodem anno* Iſenaci *epidemice graſſante, morbum hunc non per univerſam urbem diſperſam fuiſſe, ſed in uno ſuburbio, verſus occidentem jacente, utplurimum ſæviiſſe, paucasque in eo domos ab infectu immunes manſiſſe; præter eas vero vix ad decem alias in urbe ipſa domos penetraſſe morbum. Proinde hoc malum maximam partem* per contagium *ſuum feciſſe* progreſſum *concludit Auctor.*

animum advertimus, & locum, in quo ſe primo manifeſtavit, ab omni commercio ſecludere poſſemus, dubium non eſt, quin intra paucos dies totum contagium exſtinguere poſſemus, cum alias conſortio hominum in longius diſſeminetur.

§. XVI.

Verum in hoc nobis accidit, quod *Turcis* evenit; miramur & damnamus eos, ipſos tam parum curare Peſtem, cum tamen ſolum ejus nomen nobis terrorem incutiat. Fama quidem fert, Turcas Prædeſtinationis & Fati ſtoici dogmati magis addictos eſſe, quam Chriſtianos, & ipſos ideo ægros plane negligere.

Sed veram rei rationem eſſe puto, quod Turcæ illum morbum ſuum *Endemium* habeant pro *Epidemico*, ſicut nos contagioſos noſtros morbos intuemur. Hinc iſti non majorem in iis præcavandis cautelam adhibent, quam nos in morbis noſtris *Epidemicis*, in Variolis, Dyſenteriis &c. ſolemus.

§. XVII.

Sed quia morbus *Peſtilentiæ* apud nos aliquid *peregrini* & inſueti eſt, inde fit, ut ſummum in modum hunc, ex peregrinis ter-

terris advenientem morbum, timeamus atque abhorreamus; atque ideo confeſtim omnia humana remedia ad illum arcendum in ſubſidium vocantur;

## §. XVIII.

Et hoc quidem rectiſſime; cum enim ex hiſtoria Medica de *Peſte* pateat, ipſam eſſe morbum *Endemium* in illis regionibus, quas Turcæ incolunt, quod proprium ſuum principium materiale & fermentativum agnoſcit, *veramque Peſtem in noſtris regionibus nunquam ſua ſponte* oriri, ſed *ſemper per contagium & commercium cum infectis aliorſum deferri*, dubium non eſt, quin hic morbus etiam ex aliis regionibus arceri queat, ſi modo cum cura attendatur, ne quid de contagio per mercatores aut peregrinantes in illas terras tranſeat.

## §. XIX.

Aliter vero ſe res habet circa *inquilinos* noſtros hoſtes, nimirum circa conſuetos & apud nos ipſos orientes contagioſos morbos; his eodem modo, ac Turcæ Peſti ſuæ, adſueti ſumus, & quia apud nos naſcuntur, vix majore illorum metu adficimur, nec magis adverſus eos nos armamus, quam

quam isti, quin imo liberum eis cursum non nunquam permittimus.

## §. XX.

Si vero adversus hostiles nostros indigenas & contagia *easdem severas cautelas* adhiberemus, quas contra extraneos; omnino etiam in *contagiosis nostris morbis* progressum mali æque efficaciter evitare possemus; idque ipsum *optimum* atque *certissimum* foret remedium huic malo obicem ponendi;

At sine hac præservatione cursus mali non adeo facile sisti potest.

## §. XXI.

Sic si *nostrum morbum contagiosum* consideramus, quomodo in principio se manifestarit, & sensim propagatus fuerit, firmissime credo, nos, si hoc remedium initio ei opposuissemus, hostem in suis latebris opprimere valuisse, si nempe *infectos evitare*, aut forsan *in unam domum ægros primos secludere*, in nostra potestate fuisset. (z)

§. XXII.

(z) *Hanc observationem atque monitum recenti experientia & notabili exemplo confir-*

## §. XXII.

Sed in viam ut redeamus, ratiocinium Medicorum alio loco habitantium de ſupra di-

---

*firmari & adſtrui video, ex litteris Illuſtriſſimi Legati Belgici, Domini* Martevillii, *Holmia die* 15. *Jan.* 1754. *ad Præpotentes Ordines miſſis. In iis Vir Illuſtris hæc commemorat: „ Inter alios morbos, a mu-„ tabili hujus anni tempeſtate ortos, in vi-„ co hujus metropolis* Ladugaertslandia *di-„ cto, nata eſt febris purpurata contagioſa, „ qua in una domo octo homines brevi ſpatio „ interiere, ſed illa domo ſtatim occluſa & „ obſerata, per divinam benignitatem con-„ tagio obex objectus eſt, ut periculoſum ma-„ lum ulterius propagari non potuerit.*

*Optimum & ſalutare hoc conſilium in omnibus morbis contagioſis, quocumque nomine veniant, imitandum, & Magiſtratibus maxime commendandum eſt, ut ejus ope ſalus & ſanitas incolarum ſarta tecta ſervetur.*

*In quo tanto major cura impendenda erit, quia per ſedulam harum rerum attentionem admonemur, quo pacto mature orienti alicui malo occurrendum, illudque compeſcendum ſit, ne latius ſpargatur; Et ſic paulatim*

dictis *lacunis*, ansam dedit consultandi, num illæ, morbum pro futuro *præservandi* gratia, *aggesta terra opplendæ* essent?

Ego censebam, ad salubritatem urbis omnino conferre, ut tales lacunæ & stagnantes fœtentesque aquæ non sint. Sed cum ex supra dictis, inprimis vero Cap. II. §. XXVI. & XXVII. pateat, morbum proprie inde ortum non esse, hæc ratio sola non sufficere mihi videbatur, ob quam opplerentur, ideoque *Magistratuum* esse, judicare, quantum & qualem usum ac utilitatem aut impedimentum, ob alias urbis conditiones & rationes adferre possint, si illæ lacunæ manerent vel tollerentur.

In specie etiam notandum est, illam lacunam, quæ in platea de *Sieken-straet* jacet, quæque urbi præ reliquis incommodare, & hac de causa inprimis terra complenda videtur, vivis & propriis abundare scaturiginibus, recentem aquam suppeditantibus, quod ejus accolæ adfirmant, qui superioribus temporibus repurgandæ huic lacunæ adfuerunt, unde contendunt, non

---

*etiam receditur ab illa opinione chimærifera, ac si morborum contagiosorum venenum longe lateque per aërem esset diffusum.*

non omnem ejus aquam meram pluvialem esse.

Si jam tales scaturigines magis repurgarentur, iisque liberior fluxus procuraretur, & lacuna quotannis verno & pluvio tempore mundaretur, & fimeta aliaque repurgamenta a platea magis averterentur, hoc minus verosimile fieret, inde peculiares, ne dicam, *contagiosos* morbos posse oriri. (*a*)

## §. XXIII.

Demum ex supra dictis omnia illa *consilia* & *tentamina præservantia* ad rationis & experientiæ normam examinare & dijudicare licebit, quæ vel a doctis vel ab indoctis proposita fuerunt, quid valeant, ac veri aut certi efficere queant in præcavendo hoc morbo necne?

§. XXIV.

---

(*a*) *Hic loci B. Lector monendus videtur, partim ob supradictam rationem, partim munditiæ & elegantiæ causa, ante paucos annos* tres lacunas, *quæ in urbe nostra fuerunt, Magistratuum jussu esse obturatas & terra oppletas, ita ut saltem ab iis Dysenteria nobis non amplius timenda sit.*

## §. XXIV.

Ex eorum vero numero ſequentia erant primaria:

[a] Non pauci conabantur ſanitatem contra venenatum aërem munire ita dictis *Spiritibus antipeſtilentialibus*, *Tincturis bezoardicis*, *Eſſentiis alexipharmacis*, *Scordii*, *Pimpinellæ albæ*, *Millefolii*, *Caſcarillæ* &c.

[b] Plebs maximum euporiſton antidyſentericum inveniſſe credebat, ſi liberalius hauſiſſet *ſpiritum frumenti* aut *Juniperi* ſimplicem.

[c] Alii, quibus idem in deliciis fuit, aut qui furtivo tantum ejus uſu fruebantur, jam prætextum nacti *ſummitates Rutæ ſpiritui frumenti* infundebant: inventum ſpecioſum prorſus & optatum tam ſuavis animæ! vires vero illorum ſpirituum antidyſentericas imaginarias magis, quam reales exſtitiſſe, variis probari poſſet exemplis.

[d] Aliis placebat tanquam validiſſimum præſervandi remedium meracior vini rubri *Pontack* uſus, ne dicam, abuſus, in prandio, cæna, & ubi non? ſed peſſime.

[e] Exterus quidam Medicus ſequentia præſcribebat: Rec. *vini Rhenani* pintam unam

unam, *lapidum Cancrorum* drachmam semis, *radicis Contrajervæ* drachmas duas, *seminis Cardamomi* drachmam unam. Incisa & contusa infunde in loco calido per sex horas in phiala alta: colaturæ adde *Sacchari albi* drachmam unam: quotidie sumatur mane ab adultis *cochleare unum*, & a parvulis, sex annos natis, *dimidium* cochleare. Per intervalla quatuordecim dierum sumatur pulvis *Rhabarbari*.

Et quæ plura hujus generis consilia fuerunt, pro cujusvis phantasia excogitata.

## §. XXV.

Eventus autem abunde docuit, omnes tumultuarios conatus, absque cognita morbi causa & specie susceptos, non solum effectu caruisse, sed & iisdem obsecutos non levia incommoda subiisse, cum plurima ejusmodi farinæ remedia tantummodo sanguinis ebullitiones excitarent, hominesque in ardores conjicerent, ut tandem illa missa esse juberent.

His namque *venenum bilioso-contagiosum* nec attingitur, nec ejus vis infringitur, aut corrigitur; malo potius, usurpando illa, tempus & occasio datur, ut prius altas in corpore radices agere, & vires suas lethiferas

exſerere poſſit, antequam illi remedia probata opponantur.

## C A P. V.

### *Siſtens Cautelas quasdam & obſervationes de Dyſenteria*, &c.

### §. I.

A*cutorum morborum*, ſecundum Hippocratem Aphoriſm. 19. Sect. II. *non omnino tutæ ſunt prædictiones*, neque mortis, neque ſanitatis; nec unquam etiam *benignior Dyſenteriæ gradus* periculo vacat, ſi negligentius habeatur, aut perperam tractetur: qua in re plebs inprimis peccat, vel diætam juſtam negligendo, vel Medici opem tardius implorando, imo inconcinna ſæpius in ſui ipſius perniciem uſurpando.

### §. II.

Si ullo in morbo, certe in hoc quam maxime valet illud axioma Medicum:

*Principiis obſta, ſero Medicina paratur,*
*Dum mala per longas invaluere moras.*

Dyſenteria enim contagioſa quovis momen-

mento, cum generatim contagio ſuo progreſſivo invaleſcit, tum ſpeciatim corpus inſectum admodum celeriter deſtruit, lentioraque artis ſubſidia eludit. Tunc ſi quis *Fabium Cunctatorem* ſibi imitandum propoſuit, eum ſero nimis ſapere, exempla docebunt.

§. III.

*Haud facile ſua ſponte*, & ſine omni medicamentorum adplicatione *ſalutariter* hic decurrit morbus, ſed fere ſemper artis auxilium expoſcit, & ad illos morbos pertinet, in quibus *natura arti utique cedere* debet.

Eſt morbus *materiæ*, non *motus*, illumque natura motibus ſuperare non poteſt.

§. IV.

*Dolor* ille *accerrimus* Dyſentericos torquens non ſolummodo ex inteſtinorum motibus & ſpaſmis, aut ab impatientia naturæ, ut quidam loquuntur, ad ejiciendum materiam morboſam, &c. oritur, ſed potius & effectu phyſico *materia illa* ſupradicta *bilioſo-arſenicalis*, *acris*, *urens*, *cauſtica*, *corroſiva*, in inteſtinis ſtabulans, ac membranarum nervos continua roſione vellicans, intolerabilium illorum cruciatuum funeſtique

que exitus *caufa materialis*, vera, & præcipua eft; hocque facile eft judicatu, confiderato, quanti dolores excitentur, fi modo aliquid falfi, alias innocui, vulneri adfpergatur: quidquid reluctetur natura, non poterit avertere intenfiffimos illos dolores, quamdiu falfum illud in vulnere manet: quod omnino aliter accidere nequit, nifi quis vellet dicere, cruciatus tantum effe fenfum hominis vivi, nec mortuum fenfu valere; & huic nihil, quod reponam, habeo.

Nifi ergo materia & *caufa* illa *realis* auferatur, perdometur, involvatur &c. etiam memoratus naturæ fenfus dolorificus, bono cum eventu, ceffare non poteft.

## §. V.

*Correctio* tamen *materiæ morbofæ* non femper eft in noftra poteftate.

Quamdiu miafma venenofum adhuc in ventriculo & inteftinis fluctuans hæret, fpes eft, illud evacuantibus profcribere per eas vias, ad quas natura vergit.

Ubi vero maffa fanguinis eo jam labefactata, aut partes folidæ jam infectæ funt, artis fubfidia maxime limitata funt.

## §. VI.

Habet enim ars ubique ſuos limites, & ſatis eſt Medico, hos ſcire. *Multi morbi majores ſunt omni arte & remediis*, majoriſque fere ſcientiæ indicium præbet, qui morbi non curabilis inſanabilitatem, ut hac voce utar, prædicit, quam qui morbum, arte curabilem, curat.

## §. VII.

Omnes, qui hoc morbo moriuntur, ex *inteſtinorum gangræna & ſphacelo* intereunt, hoc non ſolum jam aliquot ante mortem dies pulſus debilis, vacillans, inæqualis, intermittens, extremorum frigus, anxietates præcordiorum, delirium &c. ſed & culter anatomicus in defunctis demonſtravit.

## §. VIII.

De *feminis gravidis* hoc ſpeciatim monendum eſt; non pro certo adfirmari poſſe, a noſtra Dyſenteria gravidas minus adflictas eſſe, quam utero non gerentes; malum potius indiſcriminatim utrasvis invadebat, ita ut ſatis notabilis exiſteret gravidarum numerus, quæ hac lue laborarunt:

Proinde non videtur in poteſtate provi-

de & ſollicite agentis naturæ eſſe, ut contagium ſemel inductum facilius & alia, aut tutiore ac leniore via, in gravidis expelpellere poſſit, quam in aliis mulieribus, prout nonnulli ſentiunt.

§. IX.

Præterea etiam hic loci nemo vidit in *gravidis poſt abortum*, quem ab hoc morbo paſſæ erant, Dyſenteriam ſponte ceſſasſe, quod alii in aliis Dyſenteriis a ſe obſervatum fuiſſe contendunt. Contrarium ſe apud nos manifeſtavit, nec ratione concipi poteſt, rem in *Dyſenteria vera* aliter ſe habere.

§. X.

CL. *Sydenhamius*, qui Dyſenteriam, *febrem in inteſtina introverſam*, & in illa ſeſe exonerantem, eſſe ſtatuit, (*b*) *venæ ſectionem*

---

(*b*) *Si* febris *vocanda erit*, Cacatoriam *cum* Sylvio *nuncupandam putarem*, *quia morbus hic* totam corporis ſubſtantiam per anum expurgat, *& adeo conſumit*, *ut æger intra paucos dies faciem Hippocraticam adipiſcatur*, *licet ſæpius nullam febrem*, *aut quæ*

*nem* ſuaſit, ut acres iſtos humores ſecta vena immediate revelleret; aſt *venæ ſectioni* in noſtro morbo nullus locus erat, nec eam in ullo, ſive præſervationis, ſive curationis gratia, adminiſtrandam curavi; *bilem* enim non corrigit, ſed potius vires vitæ frangit, & naturam in motibus ſuis ſalutaribus conturbat: unde *vomitus cruentus* & mors venæ ſectionem cito ſequebantur. (*c*)

§. XI.

---

*quæ vix percipi poteſt, comitem habeat, inprimis in illis, qui cito enecantur, ſicuti hoc jam ſupra notavimus, & in praxi haud negligendum eſt.*

(*c*) *De* venæſectione *in Dyſenteria adminiſtranda, multum inter Medicos diſceptatur.*

*Sunt qui omnes morbos acutos etiam contagioſos, malignos, una eademque methodo per* venæſectionem *& ſudorifera ſanare volunt; hinc &* venæſectionem *generatim & promiſcue in omni Dyſenteria, omnique fere earum periodo, adhibendam ſuadent.*

*Alii eam tantum admittunt, ubi Dyſenteria cum febre acuta inflammatoria ægros invadit, in primo initio, in ſubjectis valde plethoricis, & ubi virium adhuc integrum eſt robur, ad inflammationem, & ſymptomata inſequentia, præcavenda ac mitiganda.*

Ve-

## §. XI.

*Adſtringentibus* raro opus erat; excretio enim alvi ſua ſponte ceſſabat, poſtquam venenum aut ſubactum, aut exactum fuit:

In

---

*Verum, cum omnibus notum ſit*, morbos contagioſos *in genere proprie non* ex abundantia ſanguinis ſinceri, *ſicut aliæ febres acutæ, inflammatoriæ, oriri, ſed & ſpeciatim febrium dyſentericarum aliarumque cholerico-bilioſarum cauſam & materiam* in ventriculo & inteſtinis, *collecta ibi colluvie putrida, acri, ſedem ſuam obtinere, hincque deſiderare, ut per os & alvum educatur, natura ipſa has vias, tunquam proximas, præ omnibus aliis indicante & demonſtrante.*

*Hinc valde ſuſpecta nobis videtur* venæſectio; *vix enim natura duas evacuationes ſimul ſuſtinere poterit.*

*Si* venæſectio *in quibusdam ſubjectis aliquando ſperatum præſtitit effectum, id ſane erit in pauciſſimis.*

Præſervationis *gratia in* plethoricis *tutius admittenda, ubique vero magno cum judicio & diſcrimine procedendum erit, ne plus detrimenti, quam emolumenti ægris adferatur.*

In *ſinu* autem *concludunt anguem*, qui adſtringentibus pugnant: nil enim faciunt, quam quod materiam acrem, vitioſam, in corpore contineant, ne foras effluat; interea hoc modo inflammatio, ulcera, gangræna ac mors inducitur. (*d*)

Hinc *neque in principio, neque in declinatione morbi ſatis tuta erant*, niſi ubi de materia evacuata, & de tono inteſtinorum ſolummodo labefactato bene certi fuimus.

## §. XII.

*Laxitas inteſtinorum* non ut cauſa, ſed ut effectus morbi, conſideranda eſt, quæ non niſi ſublata cauſa tolli poterat. Tunc omnium tonicorum & adſtringentium locum ſupplere poterant *cortex Simarubæ*, *Caſcarillæ* & *ſuccus Catechu*. (*e*)

§. XIII.

---

(*d*) *Malum malo, & morbum morbo addunt, qui hiſce remediis ſine ratione ſufficiente pugnant.*

(*e*) *Inter remedia vulgaria, omnibus nota, & ubique in pharmacopœis proſtantia,* Cortex Caſcarillæ, *& ſuccus* Catechu, *in diarrhœis, Dyſenteriis, ſimilibusque alvinis fluxibus, efficaciſſima ſane & tutiſſima ſunt*

*re-*

## §. XIII.

De *Rhabarbaro tosto* & *ustulato*, quod tanquam adstringentium princeps a nonnullis commendatur, effectum adeo notabilem comperire mihi non licuit, quanquam sæpius sumendum præcepi, quin corrigentem & salutarem ejus vim purgantem ustulando potius perdi, & inde *deterius reddi* credibile est. Quo magis enim assatur & ustulatur, eo certius sane in carbonem inertem, seu, ut Chemici loquuntur, in terram mortuam convertitur.

§. XIV.

---

*remedia; partim enim discutiendi, partim intestinorum fibras roborandi, simulque dolores leniendi, ac sedium numerum minuendi scopo, absque metu mali successus, propinari possunt, inprimis* Cascarilla, præsentibus licet motibus febrilibus, *id quod multorum medicorum experientia confirmatum legimus; hæc enim virtute magis aromatica, roborante, quam adstringente prædita est, eaque vel in substantia & pulvere, vel etiam in forma Essentiæ, & extracti cum aqua parati, propinari potest.*

## §. XIV.

Si vero *Rheum* infunditur, *fortius exprimitur*, aut *Tincturæ forma* methodo noſtra propinatur, magis roborat, tutiusque ſiſtit fluxum, quam ipſa adſtringentia; quam *cautelam ſingularem* Practicis maxime commendandam duxi.

## §. XV.

Præterea *divinum* potius quam humanum *remedium* hanc *Rhei Tincturam* adpellare licebit, ob ſummam & late diffuſam ejus utilitatem, quam, rite & legitime adplicata, etiam in *compluribus aliis morbis* efficaciſſime præſtat, quamque ejus præſtantiam atque uſum polychreſtum hac occaſione Publico non potui non maxime commendare. (*f*)

§. XVI.

---

(*f*) *Ob polychreſtum ejus uſum alii Rheum gallico idiomate*, l'ami de l'homme, *humani generis amicum, nuncupant.*

*Sic in* Colica Pictonum Rhabarbarum, *præſertim infuſionis forma ſatis diluta, parca doſi & ſæpius repetita, adſumtum, alvum cum facilitate ſolvere, ac inteſtinis amicum*

§. XVI.

*De Coralliis rubris*, *de Cornu Cervi uſto*, & *Cryſtallo montana*, toties ab aliis commendatis, vereor ne eorum vis adſtringens putatitia potius, quam efficax ſit; licet enim ea ſæpius præſcripſerim, parum tamen laudabilis effectus ex iisdem obſervare mihi licuit.

§. XVII.

*De terris bolaribus*, *ſigillatis*, quas nonnulli ceu univerſale ad omnes Dyſenterias commendant, ut omne *acre* qualecunque, ſive *acidum* ſive *alcalinum* ſit, *involvere*, inviſcare, obtundere, & *iners reddere* debeant, hic experiri nolui, imo potius obſervavi, quum ab aliis adplicarentur, fluxusque inde ſiſteretur, inteſtina tanto magis gravata, majoresque anxietates, cardialgias, aliaque mala mortifera inde oborta eſſe. (*g*)

§. XVIII.

---

*cum eſſe remedium teſtatur* Celeb. Grashuys loc. cit.

(*g*) *In infantum ut & adultiorum adfectibus cholericis*, *ac dejectionibus bilioſis*, *ex diæta acida*, *farinacea*, *iracundia*, *ortis*, *ubi* bilis acrimonia eſt acida, & *feces vi-*

## §. XVIII.

*Martem* & *crocos subtiliores* ex illo paratos non nulli inter specifica, quæ fermen-
ti

---

*virides, acres, excernuntur, correctio per terrea, absorbentia, locum habere possunt, quamvis ne quidem physico-chemice certum sit, quodlibet acidum quolibet alcali obtundi.*

*Alia vero est ratio in malo dysenterico, aliisque morbis cholericis, contagiosis, ubi* alcalica bilis adest corruptio; *hic correctio per absorbentia alcalicæ naturæ, non solum valde difficilis, sed plane nulla videtur; ut taceam, quod pro rationibus physico-chemicis corpora hæc nimis crassa & cruda subtilissimum contagii virus neque attingere, neque cum illo in consortium coire, aut illud infringere possint.*

*Saltem* proportio physica *inter mali & medicamentorum corpora eorumque vires physicas esse oportet, & tunc locum habere potest proverbium:* similia curantur similibus.

*Sic spiritus vini rectificatissimus saccharum crudum non solvit, nec cum eo in societatem coit.*

*Nisi itaque naturæ per congrua & indoli*

ti dyſenterici ſpicula cum *acida*, tum *alcalina* infringere queant, cum laude enumerant;

---

*mali adæquata remedia ſuppetias ferimus, nullum fructum a præpoſtero noſtro opere ſperare poſſumus.*

*Dolendum eſt*, Boyleum *reticuiſſe remedium, generi humano adeo ſalutare, quo multis morbis, ex ſanguinis aliorumque corporis humani* humorum putrefactione *ortis, mederi poſſe fatetur, dum inquit:*

„ *Quibusdam de cauſis inducor, ut te*
„ *orem, ne me quidpiam ſuper remedio mox*
„ *commemorando roges, quia tempus non-*
„ *dum eſt, ut hac ſuper re tibi ſatisfaciam;*
„ *hiſtorice tamen hic te docebo, quod forte*
„ *mirum exiſtimabis, quantam eſſe in re-*
„ *rum natura ſubſtantiam, quæ* putrefa-
„ ctioni potenter adeo reſiſtit, *ut, cum*
„ *paucula ejusdem grana demiſſa fuiſſent in*
„ *aquam, quæ omnino graveolebat, ac tam*
„ *tetrum in modum, ut odorem, niſi unde*
„ *ſciviſſem, e cadavere emanaſſe crediturus*
„ *fuiſſem, ut paucula, inquam, medici hujuſce*
„ *liquoris grana agitatione per tetram hanc*
„ *fœtidamque aquam diffuſa, quæ oculo tur-*
„ *bida non videbatur, ex ea præcipitave-*
„ *rint tenuem, levemque feculentiam; qua*
„ *ſe-*

rant; cum vero ejusmodi croci aliaque hujus generis e Marte, *calcinatione* parata, ſive aperientium, ſive adſtringentium nomine veniant, utique adſtringendi fine præſcribantur, & ut talia in corpore humano operentur, ita eorum uſus in noſtra Dyſenteria ſuſpectus, imo noxius fuit.

Idem judicium eſto de *lapide Hæmatite*, variisque ex illo productis chemicis.

Alii *Lac* ſic dictum *ferratum*, aut *aquam ferrariam*, in quibus nimirum ferramenta candentia exſtincta fuere, ægris propinarunt, haud ſane meliori effectu.

*Tincturam Vitriol. Martis Lud.* cum ſucceſſu adhibuiſſe adfirmavit Medicus quidam. Sed puto, in *fine* potius *morbi* ad roboranda

---

„ *ſeparata reſiduus liquor omni fœtore liberatus eſt: neque ullum ipſa in feculentia fœtorem percepi; quod autem obſervatu dignum eſt, peracta hæc omnia ſunt paucis omnino minutis, cujusdam* præcipitantis *ope, ſapore nec amari nec acidi, nec urinoſi; ex quibus omnibus ſagaciores rerum exploratores non inutilia documenta hauſerint. vid.* Specificor. remedior. cum corpuſc. philoſoph. concordia Propoſ. tertia."

da viſcera, quam ad ſuperandum malum illam conducere. (*h*)

## §. XIX.

*Sales omnes* ex. gr. *Tartar. vitriol. Arcan. duplic. Sal polychreſt. Sal prunel.* &c. contra omnem ſane rationem ac prudentiam medicam ab aliis toties præſcipti, mordaces ſunt, & in inteſtinis exulceratis nil niſi graviores dolores & ſtimulos excitant, quare ne *Nitroſa* quidem, inprimis in ſtatu & progreſſu morbi, tuta erant; fluxum enim magis exacerbaſſe obſervavi. (*i*)

## §. XX.

Ab omnibus *mineralibus* & *metallicis* me-

---

(*h*) Tincturam Vitrioli Mart. Ludov. *cum* Tinctura Rhei *remixtam*, *bono cum effectu propinatam fuiſſe*, *novimus*.

(*i*) Nitrum *in hoc morbo noxium*, *vel ſaltem haud tutum eſſe*, *jam ab aliis notatum legimus*.

*Neque in* Cholera *illud adplicandum cenſeo*, *quacunque etiam cum cautela*, *& ad parvas tantum*, *cum potulentis valde dilutas*, *& repetitas doſes*, *ejus reſtringatur uſus*.

medicamentis abſtinendum eſſe confeo; (*k*) *vegetabilia* ſola in morbo curabili ſufficiunt.

## §. XXI.

*Purgantia fortiora* in caſu mitiori quidem prodeſſe poſſunt, in caſu vero graviori, & ubi inflammatio metuenda erit, aut jam adeſt utique nocent.

Quomodocunque res ſe habeat, vitentur quam maxime omnia *draſtica*, *ſcammoniata*, *jalappina*, *alöetica*, *colocynthiaca*, *helleborina*, aliaque hujus farinæ compoſita, quale eſt *Elixir Proprietatis Paracelſi*, *ſalutis*, &c. &c. inteſtina enim rodendo, eorumque mucum naturalem abradendo inflammationem magis accelerant, aliaque mala funeſta inducunt. (*l*)



(*k*) *Medicamenta ex* mineralibus *&* metallis, *ex. gr. antimonio*, *mercurio*, *auro*, *argento*, *ferro*, *vitriolo*, *præparata*, *minime tuta ſunt*, *eorumque uſus multum cautionis & prudentiæ deſiderat.*

(*l*) Omnia remedia draſtica *in genere inſtar venenorum agunt; ejusdemque indolis ſunt mala*, *quæ a draſticis purgantibus*, *improvide datis*, *quam quæ ab ipſis venenis*, *proprie talibus*, *excitantur.*

## §. XXII.

*Pilulæ polychreſtæ Beccheri correctæ*, aut aliæ hujus generis compoſitæ in hac Dyſenteriæ ſpecie optatum effectum non præſtabant;

Nec unquam in ſimili caſu acuto illis compoſitis generalioribus, quocunque ſub nomine notis, tantum fidimus, quantum medicamentis ſimplicioribus, morbo magis congruis, & adaptatis. (*m*)

*Præſervandi* vero ſcopo, ad inteſtina a ſordibus expurganda, ut & in *ſimplici diarrhœa* uſum habebant, nunquam vero tantum, quantum *Rhabarbarum* ſolum.

§. XXIII.

---

(*m*) *Simplicia remedia, compoſitis anteponenda eſſe, jam olim judicavit* Boyle, *ob rationes, quod non ſolum tutius adplicari, ſed & eorum operationes facilius cognoſci, indeque practica materiæ medicæ notitia melius promoveri poſſint.*

*Hinc Medici ſerio hortandi videntur, ut inveſtigent, frequentiusque ſolito adhibeant ejusmodi remedia, quæ vel ſimplicia ſunt, vel, ſi compoſita adhibere neceſſe ſit, ex neceſſariis tantum ingredientibus, medico ſcopo, morbique indicationibus reſpondentibus, conſtent.*

## §. XXIII.

*Sudorifera* caute adhibenda ſunt, ſudor enim arte prolectus minime eundem effectum ſalutarem habet, ac *ſpontaneus*, quo natura materiem humoribus inſinuatam apte e corpore eliminare novit.

Ars vero turbulenter ſæpius cocta & cruda ſimul & ſemel ad externa pellit, majoresque in corpore turbas excitat, quid quod, ob *inquietudinem ægrorum* & *ſedium numerum*, vix debita in lecto continentia, ad tales ſudores artificiales obſervari, nec materia peccans per ſudorem ſatis eliminari poſſit.

## §. XXIV.

*Gummata reſinoſa*, ex. gr. *Olibanum*, *Myrrha*, *Maſtiche*, *Succinum* & ſimilia; *oleum Succini*, *Balſ. Peruv.* nec non *Terebinthina* in vera noſtra Dyſenteria adplicata ad ſanationem vix unquam laudabilem produxere effectum:

Ubi vero adfectus degeneravit *in ulcus*, inteſtina conſolidandi & cicatricem obducendi ſcopo, locum habere poſſunt.

## §. XXV.

Quod ad *ſpecifica* attinet, de iis acerrime

inter Medicos diſputatur, num dentur in rerum natura *certa antidota*, quæ propria ſua natura & qualitate *cauſæ* alicui *morboſæ* contraria ſint, eique e directo, ut ita dicam, repugnent.

Quidam illa plane negant, & in medium adferunt ſolitum dictum *Capivaccii*, quod diſcipulis ſuis regerebat: *diſcite meam methodum, & habebitis mea arcana.* (*n*)

Alii in aliud extremum proclives ſunt, & nihil niſi ſpecifica crepant.

Verum, uti *vires* remediorum *activæ* non ſunt *abſolutæ* & *infallibiles*, ſed *relativæ* & *conditionatæ*, in quantum mali, ſimul & corporis conſpiret conditio, ſic vix unquam tale remedium reperietur, quod morboſam quandam materiam in corpore latentem adeo efficaciter corrigere & exſtinguere poſſit, ut omnia, cujuſcunque diſpoſitionis corpora, a malo quodam liberare queat;

Interim invenimus multa remedia, quæ uti ſub præſervativis jam diximus, ſingularem effectum, majusque præſidium adverſus

---

(*n*) *Et revera*, optima methodus, optimum etiam eſt arcanum & remedium ſpecificum.

ſus hunc vel illum morbum præſtant, quam ſexcenta alia, quæ vulgo commendantur aut adplicantur, ut ita non tam defectus remediorum antidotorum, quam potius ignorantia inventionis & adplicationis eorum nobis obſtet. (*o*)

§. XXVI.

---

(*o*) *Si* ſpecifici, *proprie ſic dicti, nomen ferri non poteſt, experientia tamen conſtat, quod non ſolum venenorum & fermentorum venenoſorum diverſa ſint genera, ſed etiam cuivis peculiaris in corpus agendi inſit potentia; id quod ex eorum effectu diverſiſſimo clare & perſpicue adparet.*

*Sic certæ eſt obſervationis, quod venena & fermenta quædam animalia vel vegetabilia, corpori communicata, peculiariter & ſpecifice, imo immediate quaſi* menti *vim inferant, eique non ſolum in genere ſanæ rationis uſum eripiant, ſed, quod maxime notandum, ſingula eorum ſingularem etiam & peculiarem inſaniæ ſpeciem inducant; Ita morſus* canis, lupi, felis, *rabidi, hydrophobiam;* Tarantulæ *ictus inſanabilem ſaltandi libidinem, præſertim ad certum muſices concentum;* Scorpionis *ictus ſubitum & frigidum ſudorem;* opium *ſomnolentiam & torporem;* hyoſciamus *ſtuporem; ſemen* daturæ

## §. XXVI.

*Copia medicamentorum* hinc inde ad nauseam usque commendatorum, animum Medi-

---

*sive* Stramonii *ebrietatem*, *imo insaniam*; *herba & baccæ* Solani *furorem*; Crocus, *nimia quantitate adsumtus*, *aliis stupescentiam & narcosin*, *aliis stolidum cachinnum & risum inferunt*.

*Sunt & alia venena & fermenta specifica*, *quæ neque menti*, *neque toti corpori*, *sed* certis tantum & determinatis quibusdam partibus infensa *sunt*, *& in iis peculiarem & specificam suam vim exserunt*; *sic contagium* scabiosum *partibus cutaneis*, *materia scorbuti* carni gingivali, *virus* venereum *glandulis inguinalibus & faucium ossibus*, canthariides *renibus*, arsenicum *partibus genitalibus*, *peculiariter & velut specifice noxia sunt*, *ita ut cuti solum externe adplicata totum hominem pervadant*, *&* reliquis *vasis illæsis*, *ad* certas *tantummodo* partes peculiares *transeant*.

*Sicuti vero ob immensam Dei omnipotentis gratiam statuere vix possum*, *ullum humano generi imminere malum*, *etiam physicum*, *cui peculiaris ejus providentia non etiam*

dici potius in diverſa trahunt, ſuſpenſumque habent, quam ut exſpectationi ſatisfaciant.

Me-

---

*etiam oppoſuerit remedium antidotum, phyſicum; ita ſanæ rationi maxime conſentaneum puto, ſtatuere*, omnia illa venena & fermenta peculiaria & ſpecifica ſua quoque habere remedia antidota, phyſica, *iisque optime oppugnari poſſe.*

*De* Venenis & fermentis animalibus *aliqua hujus ſententiæ ſe offerunt exempla, qualia ſunt remedia ex* cane rabido, ſerpentibus, viperis, ſcorpione, bufone, *petita, quæ ad recentes illorum animalium morſus, tempeſtive adhibita, aliis ſpecifice præferenda eſſe, experientia docet. Sic* veneno venereo ulceroſo *maxime medetur Mercurius, utpote qui peculiari ratione in glandulas, inprimis etiam faucium, agere conſtat.*

*Hæc aliaque, cum per experientiam vera eſſe cognovimus, præjudicio potius, quam ſanæ rationi tribuendum puto, ſi omnia hæc ideo rejicere velimus, quia, quo peculiari modo phyſico illa operentur, non ſemper explicari poteſt.*

*Qui plura hac de re ſcire cupit, adeat* Boylei *tractatum de* Specifica remediorum

cum

Medicus praxeos gnarus *paucis*, ſed efficacibus remediis inſtructus, omnibus ſuis intentionibus ſatisfacit; & bona *ſimplicia* plus efficiunt, quam immenſa farrago compoſitorum uſualium.

Prudentia circumſpecta, exercitatio & uſus omnem, ut ubique, ſic etiam hic abſolvunt paginam.

## §. XXVII.

Hac occaſione etiam ratione *Climatis noſtri* monere debeo, *doſes medicamentorum* apud noſtræ regionis incolas plerumque paulum poſſe augeri, nec ab eorum aucta doſi adeo facile nocivum effectum deprehendi.

Conſtitutiones enim corporum & naturæ noſtrarum plagarum non ſunt adeo ſenſibiles, quam quidam Medici de ſuarum terrarum incolis memoriæ prodiderunt; ad quam

---

cum corpuſculari philoſophia concordia; *item Tract.* de ſimplicium medicamentorum utilitate & uſu, *ubi rationes pro, & contra hanc ſententiam prolixius adferuntur, quas omnes hic allegare, Lectori faſtidioſum foret.*

quam rem, ubi in praxi clinica non rite attenditur, optimos Medici conatus frustraneos fuisse plus semel experientia didici.

## §. XXVIII.

Decoctum *seminis Milii indigenæ* in Dysenteria castrensi valde commendatum legimus; in nostro contagio illud multum adhibui, sed dolens fateor, me nihil specificæ opis ex ejus usu sensisse, quamobrem præ aliis commendabile esset; cæterum *pro grato potu ordinario* parando non ineptum, & ideo rejiciendum non est. (*p*)

§. XXIX.

---

(*p*) *Celeberr.* J. G. H. Kramer *in Medicina sua castrensi hæc habet:* „ *Quidquid de* „ *cortice* Simarubæ *contra Dysenteriam pollicitur Clar. Dominus* de Jussieu, *idem de* „ seminis Milii indigenæ decocto *saturato*, „ Syrupo divi Ambrosii *nuncupato*, *pollice-* „ *ri possum*, *præcipue addito pauculo Cinna-* „ *momi aut Cassiæ ligneæ. Hoc decocto pro* „ *potu ordinario*, *etiam ad lubitum & sitim* „ *restinguendum*, *distributis*, *ac sensim sen-* „ *simque factis haustibus*, *neque frigidis*, *at* „ *tepidis potius*, *inservire posse*, *ejusque ope* „ *morbum*, *qui nulli alii remedio cedere vo-*

„ *le-*

## §. XXIX.

De cortice *Simaruba* hoc adhuc monendum duco, valde dubitari posse, num ille sit

---

„ *lebat, intra* 12. *etiam horas evanuisse, ex* „ *eodemque decocto miracula se vidisse, re-* „ *censet Auctor. vid.* Commerc. litt. Norimb. Ann. 1733. pag. 43. & Anni 1735. pag. 222.

*Alii hoc decoctum præter facultatem suam specificam antidysentericam, qua pollere debet, in aliis etiam morbis, tanquam* alexipharmacum, *commendant.*

*Acre involvere ac temperare, simulque bonum nutrimentum præbere, aptum est semen Milii; an vero* hordei *vel* oryzæ *decocto palmam hic præripiat, evidentioribus experimentis adhuc evincendum erit.*

Medici Indi *in sua Dysenteria maxime commendant decoctum* oryzæ *cum aqua vel lacte paratum ad acrimoniam biliosam corrigendam, alvumque magis stipandam. Clysteribus etiam antidysentericis incoquendum suadent* oryzæ farinam.

*In navigatione Americana multos dysentericos ex usu inprimis* oryzæ *evasisse refert* Columbus.

*Po-*

ſit *Macer veterum*, uti D. de Juſſieu voluit, quia cortex *Macer* non tantum ex ſola India Orientali advehebatur, *Simaruba* autem ex India Occidentali adfertur; Verum etiam illi *Simarubæ* characteres ſoli *Maceri* aut *Simarubæ* minime proprii, ſed adeo generales ſunt, ut compluribus aliis corticibus, ex. gr. Tamariſc. Peruv. Caſcar. Quern. Fraxin. certo reſpectu adplicari, nec priorum character ſpecificus inde determinari poſſit.

Deinde *Simaruba*, licet effectu corticum generali, ſeu ut alia amara, ex. gr. *rad. Gent. rubr.* tonicum ſolummodo eſſe videatur, tamen etiam revera aliquid ſpecifici, *ſedativi* potius, quam adſtringentis effectus in fluxibus alvinis *cruentis* ſiſtendis apud nos exhibuit; & hinc, ulterioribus experimentis ut examinetur, omnino meretur.

Interea tamen omnis erroris vitandi cauſa, negari non poteſt, D. de Juſſieu in ea laudanda modum exceſſiſſe, atque nimiis ejus encomiis veram *Simarubæ* laudem atque utilitatem magis obſcuraſſe, quam illuſtraſ-

---

*Populis Orientalibus in panem quotidianum cedit* oryza, *bonumque & laudabile præbet alimentum.*

ſtraſſe; eoque eandem ipſe incurrit culpam, quam in aliis Medicis ob nimias certorum medicamentorum laudes merito reprehendit: itaque & huc quadrat illud:

- - - - - *Medio tutiſſimus ibis.* (q)

§. XXX.

---

(q) *Celeberr.* Domin. de Juſſieu, *poſtquam de hocce remedio ad Illuſtr. Academiam Scientiarum Pariſinam retulit, idem argumentum publica ventilavit diſſertatione, & quæſtionem propoſuit:* an inveteratis alvi fluxibus Simaruba? *ſcil. medeatur?*

*Et poſtquam multa de hac re diſſeruerat, & inquiſiverat, quibus in caſibus & quonam cum ſucceſſu hic cortex adhibendus ſit? concludit tandem in hæc verba:* ergo inveteratis alvi fluxibus Simaruba. *Et hanc diſſertationem Doctiſſ. Compoſitores* Commercii litter. Norimb. *Anno* 1733. *& quidem in notis ad hunc annum compendio exhibuerunt.*

*At cum idem compendium hic recenſere, nimis prolixum foret, lectores illuc remittimus, & hic tantummodo clauſulam illius compendii citamus, ubi nimirum* facta Simarubæ cum Ipecacuanhæ comparatione, *hæc adduntur: „ dyſentericas, vel ab infarcto ſtomacho, vel ab obſtructis meſenterii aut inteſtinorum glandulis, excretio-*

„ *nes*,

## §. XXX.

De *sero lactis* dicit *Baglivius Prax. Med.*

---

„ *nes, vomitu curare*, Brasilianæ radici *de-*
„ *tur;* Cortici Guianeo, *seroso-biliosos*,
„ *sanguinolentos, mucososque alvi fluxus*,
„ *a continuo intestinorum convulsivo motu*,
„ *inveterascentes, illæsa stomachi functio-*
„ *ne, & absque morsu, sedando sanare con-*
„ *cedatur.*

*Idem cortex etiam fere in* omnibus fluxibus ventris immodicis, *uti & in adfectibus* cœliacis & diarrhœis inveteratis, *per longam experientiam, bono cum successu in usum vocatus est, prout a sæpius laudato* Domino du Buisson *per literas edoctus sum; qui & hoc mihi adfirmavit*, „ *se incomparabile hoc re-*
„ *medium in forma liquida adhibuisse ma-*
„ *tronæ, quæ per sex vel octo annos* nimio
„ & immodico mensium fluxu *laboraverit*,
„ *eamque ope hujus corticis non solum illo*
„ *incommodo fuisse liberatam, sed & fluxum*
„ *mensium in ordinem redactum esse*," *& posterioribus his casibus primo in lumborum & dein in abdominis doloribus notabile levamen attulisse.*

*Alii hoc cortice usi sunt in* Ventriculi vi-

*Med. L. I.* „ Sæpissime *Dysenterias* pro-
” fli-

---

tiis, & febribus intermittentibus, *quo vero cum effectu, me fugit.*

*Expertiss. Med.* Tyssot, *ut illis, quæ de effectu* Simarubæ *ex nostro tractatu citaverat, majorem auctoritatem conciliaret, in* Disputatione sua Med. Inaugurali, *Trajecti ad Rhenum* 1739. *habita, epistolam exhibuit Viri Celeberr.* Th. Swencke, *ex qua ulterius discere possumus* Simarubæ *vires, ejusque rectum usum & cautelas, in eo dando adhibendas, observationibus hujus Professoris confirmatas, hisce verbis:*

” Ea, quæ cineritia ad albedinem ver-
” gens, non cariosa, glabra, saporis sub-
” adstringentis & subamari, *præfertur.*

” *Hic sapor jam satis fere demonstrat,*
” *quid possit, & cur? Laudatur in* Dysente-
” ria & diarrhœa, *sed non in omni; ubi ma-*
” *teria & causa peccans hæret in primis viis,*
” *vel nihil facit, vel nocet, sed expurgata*
” *causa* roborat laxata intestina, *subintelli-*
” *ge eorum vasa, canales, secretoria & ex-*
” *cretoria.*

” *Methodus exhibendi infusione optima est,*
” *vel saltem ego præfero. Drachmas duas*
” *infund. per* 2. *horas loco calido cum libra*
” *una*

" ſligavi *ſolo ſero lactis* intus dato, & per
" cly-

---

" *una aquæ, dein ebulliant per ſemi horæ*
" *ſpatium. Colaturam mane hora octava, &*
" *ſexta pomeridiana æquali doſi exhibe; idque*
" *continuetur quotidie, donec fluxus ceſſet.*
" *Scrupulus unus bis de die in pulvere ma-*
" *ne ac veſperi idem fere præſtat; præfero*
" *tamen infuſum prædictum ſimplex, non in-*
" *gratum, per plures dies repeto, & ſi neces-*
" *ſitas urgeat, ad tres quatuorve hebdoma-*
" *das: in duplici præſertim fluxus ſpecie nul-*
" *li cedit.*
" 1. *Ubi humores per laxata vaſa inteſti-*
" *norum & glandularum nimia copia ſecer-*
" *nuntur, & excernuntur, perinde ac in*
" Coryza, catarrho, *ſic quoque* diarrhœa
" ſeroſa, *imo* bilioſa, (*ut Medici vulgo lo-*
" *quuntur*) *excretione nimia*, Dyſenteria,
" *ſi in his humores aliorſum ducendi, inte-*
" *rimque laxata corroboranda, & ut ita lo-*
" *quar, exſiccanda, in hoc morbo mira fa-*
" *cit, & quantum potui accurata obſerva-*
" *tione, & attento percipere animo, humi-*
" *dum adfluens ad venas quaſi revellit: in*
" *his enim hominibus* urina *eſt pauca, ru-*
" *bra, craſſa, ſed poſt infuſi corticis Sima-*
" *rubæ uſum* augetur quantitate, *& fit di-*

 " *lu-*

" clysteres quoque injecto; multosque
" Au-

---

" *lutioris coloris, & hoc jam prænotat, cum*
" *euphoria medicamen adsumtum iri, bre-*
" *vique alvi fluxum cessaturum.*

" *Notavi in Nobili Matrona* 36. *annorum,*
" *quæ diutissime* alvi fluxu *laboraverat, nul-*
" *lis medicaminibus reficiebatur, tandem* Si-
" marubæ *infuso per sex septimanas bis de*
" *die usa est, & convaluit, urina copiosa*
" *per renes fluente, quæ fluente alvo pauca,*
" *& rubra fuerat, interim fibris intestino-*
" *rum corroboratis.*

" 2. *Bina exempla alteram speciem pro-*
" *bant. Ubi magni* abscessus & ulcera in
" extremitatibus post magnos dolores, fe-
" bres, *irritationes, & alia symptomata, præ-*
" *sertim ubi magna quantitas materiæ puru-*
" *lentæ, serosæ, vel ichorosæ excernitur*
" *quotidie, si incidat in* lævitatem intestino-
" rum, *quod facile fit, in summum vitæ dis-*
" *crimen conjicitur æger: Siccatur enim*
" *ulcus, abscessus, & tum facile resorbetur*
" *intra sanguinem pus, ichor, hinc febres*
" *pessimæ, putridæ, hecticæ, diarrhœa se-*
" *quitur colliquativa & mors.*

" *Quale exemplum in sexagenario majori*
" *vidi, cum enim* post surarum & pedis ab-
" sces-

" Auctores pro magno ſecreto habuiſſe
" hoc

---

" ſceſſus *pertinaciſſimos* lævitas inteſtino-
" rum *ſuperveniſſet, ita ut decies de die de-*
" *jiceret fluidiſſima, poſt trium dierum inter-*
" *vallum ulcera jam ſiccari cœpere, rubra,*
" *nigra, ichoroſa fundere, febricula, vi-*
" *rium dejectio; in hoc præſente atque ur-*
" *gente morbi ſtatu drachmæ duæ* corticis,
" *ad colat. libræ unius infuſæ, pro duabus*
" *doſibus exhibentur, quarum ſex, trium*
" *dierum ſpatio ſumtæ, alvum ſiſtebant, ge-*
" *nerato quoque pure laudabili in ulceribus.*
" *Alter caſus eſt Nobiliſſimi Juvenis* 20.
" *annos nati, cui alacre corpus atque ad*
" *omnia exercitia natum, benigne conceſſum;*
" huic ſub patella, genu, muſculis, recto,
" crureo, vaſto interno & externo abſceſ-
" ſus, uſque ad medium femur *nati, poſt*
" *inflammationem, arte aperti, pus, icho-*
" *rem, lympham tenacem, effundebant, tan-*
" *ta quantitate quotidie, ut poſt tres ſepti-*
" *manas corpus emaciatum fere deficeret,*
" *ſed &* inſuper diarrhœa *oritur altero jam*
" *die aucta, urina pauca, rubra, pus icho-*
" *roſum, fuſcum, labia ulcerum ſicca, bre-*
" *vi conclamatum fore, non ſine ratione cre-*
" *debant omnes; exhibetur* Simarubæ *infu-*

" hoc remedium in Dysenteriis refert. In

---

" *sum, eo prædicta methodo per plures dies*
" *hausto, imminuebatur statim fluxus, & pe-*
" *dedentim substitit alvus. Pus laudabile,*
" *urina interim majori quantitate cum dilu-*
" *tiori colore ab initio jam fluens brevi ab*
" *hoc diro symptomate liberatus fuit, atque*
" *victu refectus, abscessu ex arte dexterrime*
" *sanato, convaluit.*

" *Cave tamen*, ne unquam in Dysenteria,
" ubi ulcera interna, fundentia materiam
" purulentam & acrem, adsunt, *eam ex-*
" *bibeas infusionem vel pulverem, namque*
" *non curato ulcere, retenta materia corro-*
" *dit interna viscera, inficitque massam san-*
" *guineam; hinc febres putridæ, hydrops,*
" *mors, ut vidi in Amplissimo viro consu-*
" *lari quadragenario, & hoc observarunt*
" *alii. Præsertim hæc notanda credidi inter*
" *alia de* Simaruba.

*Modo laudatus Peritiss. Med.* Tyssot, *in li-*
*teris ad amicum datis sequentia habet: "Ro-*
" *gatus an quasdam instituissem observatio-*
" *nes circa usum & effectus corticis* Simaru-
" bæ *& radicis* Salab? *respondeo, me sæpis-*
" *sime observasse, postquam plura alia medi-*
" *camenta frustra fuerant adhibita, corti-*
" *cem*

In Dysenteria Anni 1702. illud mul- tis

---

" cem Simarubam, sive in substantia, sive
" coctione datam, mirum in modum Dysen-
" teriam curasse, præcipue, si exacte se-
" cundum methodum Degnerianam fuerit
" propinata, & si eodem tempore adhibeatur
" radix Salab ad tenuem mucilaginem ex
" Lacte & aqua cocta, & bina medicamenta
" studiose secundum consilia prædicti Aucto-
" ris adplicata fuerint, & quidem ad mini-
" mum per 20. dies aut plures, diætamque
" patienti exactam præscribendo, præcipue
" ova sorbilia, & juscula carnis gallinaceæ
" vel vitulinæ cum succo citri.

" Observavi etiam, prædicta salubria
" medicamina sæpe non rite fuisse admini-
" strata, uti quotidie accidit in usu corticis
" Peruviani, aliorumve specificorum medi-
" camentorum, curationem ideo quoque non
" successisse.

" Tandem vidi etiam quandoque, uti acci-
" dit in omnibus adfectibus periculosis, quod
" interdum docta plus valet arte malum.

In Colica habituali & dysenterica, ægro- to a plurimis annis familiari, ubi feces co- piosæ & cruentæ erant, nec ullis medicamen- tis, per Medicos quam plurimos exhibitis,

tis profuiſſe, fama mihi innotuit.

In

---

*cedere volebat malum, maximumque in vitæ periculum adducebatur æger, tandem* cortex Simarubæ *in forma pulveris præſcriptus fuit; quo exhibito, morbum hunc ſenſim curatum, ægrumque in integrum reſtitutum legimus*

*Et ceu notatu maxime dignum hic additur, morbum hunc longum & difficilem nullis medicamentis depelli potuiſſe, niſi* Simaruba *exhibita; Eamque magis virtute quadam ſpecifica, hactenus non explicata, ad ſiſtendos fluxus ſanguinolentos, quam virtute alvum liquidam adſtringente, agere, in nulliſque convenire caſibus, niſi in quibus fluxiones ſanguinolentæ adſunt. Vid. Clar.* Grashuys *tract. citat.*

*Hac occaſione non poſſum, quin hic mentionem faciam de novo quodam, & quantum ſcio, parum adhuc cognito remedio antidyſenterico.*

*Hoc medicamentum jam ante aliquot annos mecum communicavit ſæpius laudatus* Simon du Buiſſon, *& quidem ſub nomine* Gitta Gambir. „ *Eſtque ſpecies* Trochiſcorum, *qui, ut* „ *adfirmatur, ex inſula* Java *ad nos adfe-* „ *runtur, dicunturque eſſe compoſiti de corti-* „ *ce*

In Dyſenteria noſtra biliofa veritas hujus

---

" *ce vel, ut alii volunt, de radicibus cujusdam*
" *arboris, quæ teruntur in lapide, & tunc in*
" *eam* Trochiſcorum *formam rediguntur.*

" *Præterea commemorabatur, hos* Tro-
" chiſcos *inde a pluribus annis Amſtelodami*
" *quidem in uſum vocatos, at ſolummodo*
" *externe pro gargariſmate in* morbis angi-
" noſis *adhibitos fuiſſe.*

" *Sed Domin.* du Buiſſon *iisdem quoque*
" *jam per plures annos uſus fuerat, non ſolum*
" *in* faucium inflammationibus anginoſis &
" aphthoſis, *& quidem egregio & optatiſſimo*
" *cum ſucceſſu, ſed etiam ut excellens & effi-*
" *cax remedium, ſimul corrigens atque leni-*
" *ter adſtringens & corroborans in* diarrhœis
" *&* Dyſenteriis, aliisque laxitatibus inteſti-
" norum; *in quibus hoc remedium per aliquot*
" *annorum experientiam ſe ſibi probarit.*

" *Propinatur vero hoc modo: uni vel dua-*
" *bus drachmis* Trochiſcorum *infunditur*
" *aqua fervens, atque ubi ad ſaturitatem*
" Theæboei *tincta fuerit aqua, propinatur*
" *ægroto, ſingulis horis vel bihoriis vaſcu-*
" *lum porcellanum hac potione plenum, idque*
" *per aliquot dies, vel ad plenam uſque ſa-*
" *nationem;*

jus afferti comperta fuit; & dolendum eft, non-

---

" *Qua in re hoc tamen obſervandum eſt,*
" *totam perſanationem non poſſe perfici ſolo*
" *hoc remedio, ſed præter id, adhuc talia*
" *eſſe adjungenda, quæ ratio circumſtantia-*
" *rum exigit.*

*Idem ille Vir. Celeberr. pro ſingulari ſua humanitate mihi aliquot ex illis* Trochiſcis *ſpeciminis loco impertivit; Ego & alios Amſtelodamo adferendos curavi, ſed & ſtatim deprehendi, binas has* Trochiſcorum *ſpecies, tam magnitudine quam colore, multum inter ſe differre. Nam Medioburgo miſſi* Trochiſci *erant majores, colore rubri, libraque eorum* 20. *florenis Belgicis conſtabat, dum contra Amſtelodamo allati longe minores & colore ſubfuſci eſſent, horumque libra* 8. *florenis venderetur.*

*Miſſi per Domin.* du Buiſſon, *habebantur pro melioribus & conficiebantur* Palenbangæ, *ſita in ora orientali inſulæ* Javæ *majoris, utpote vera eorum patria, ubi ſinceri & puri conficiuntur. Amſtelodamo autem venientes deterioris ſpeciei eſſe putabantur vel impurioris; & revera ſapore etiam erant diverſi.*

" *Domin.* du Buiſſon *exiſtimat, hos* Tro-
" chi-

nonnullos Medicos, ob nescio quod præju-

---

" chiscos *maximam partem paratos esse ex*
" *succo Catechu, idque posse innotescere, si*
" *aliqua eorum portio in aqua solvatur, &*
" *per* 24. *horas in ea relinquatur.*

*Hæc ex litteris Domini* du Buisson, *& ex hujus sententia duas has species, nimirum* Trochiscos Gitta Gambir & succum Catechu, *examini chemico subjeci.*

Succus Catechu *si multa aqua fervida solvitur, & deinde per filtrum mittitur, omnino lucide, clare, & rubicundo colore per filtrum transit, modo quasdam exiguas admixtas particulas terreas in filtro reliquens. Liquor primo adstringentis, deinde dulcis & grati saporis est gustanti.*

*Et si eum evaporando conamur ad consistantiam redigere, paulatim plus flavæ ad rubedinem vergentis terreæque materiæ ad fundum vasis subsidet.*

*Idem accidit in solutione* Gitta Gambir, *nisi quod plures particulæ terrestres, imo dimidia ejus pars, tanquam terra iners, sine odore & sapore, haud dissimilis serratæ scobi, in ejus solutione per aquam fervidam, in fundo filtri remaneat. Liquoris color idem est ac succi* Catechu, *eademque fere evapo-*

*ran-*

judicium, ab hoc remedio admodum alie-
nos

---

*rando relinquit terram, dilutioris ſaltim paululum coloris. At præcipua diverſitas horum duorum reperitur in ſapore. Namque ſapor* Gitta Gambir *primo paulo acerbior, auſterior, magisque adſtringens eſt, quam ſapor ſucci Catechu, tandem tamen linguæ dulcedinem relinquit.*

*Ex quibus omnibus hoc colligere datur, ambas has ſpecies fortaſſe vel ex eadem arbore parari, &* ſuccum Catechu, *uti veroſimile videtur, ex arboris ſolo fructu vel ſucco congeſtum;* Gitta Gambir *vero una cum ejus corticibus immaturis mixtam eſſe, adeo, ut hæ duæ ſpecies ſolummodo propter diverſam præparationem ſaporis diverſi evadant; vel eosdem ex arboribus, parum diverſis, confieri credibile ſit.*

*Quandoquidem vero per Dei gratiam inde ab Anno* 1736. *a* Dyſenteria *vera hic loci immunes manſimus, nulla mihi occaſio oblata eſt, virtutes* Gitta Gambir *in hoc morbo explorandi.*

*Adhibui quidem* Gitta Gambir *aliquoties in Dyſenteriis ſporadicis, vel, ſi mavis,* diarrhœis bilioſo-mucoſis, *auxiliumque ſatis bonum ex iis percepi, at non tantum, ut*

*il-*

nos fuisse; hic vero dissensus non solum rixis

---

*illos* Trochiscos *succo Catechu, aliisve jam notis, & in praxi medica probatis remediis anteponi posse, adfirmare audeam.*

*Ut nihil dicam de magno pretio, quo* Gitta Gambir *venditur, & de majore quantitate, quam succi Catechu adhibenda; propemodum enim dimidia sui parte constat terra ita dicta mortua seu inerte.*

*In adfectibus faucium minore cum hæsitatione illos* Trochiscos *in usum vocaturus essem, quia in iis salutaribus effectis suas virtutes magis exseruerunt, probaveruntque.*

*Nonnullis Medicis castrensibus* Trochiscos *hos commendavi, ut eorum periculum facerent, meque de successu edocerent, sed nunquam quidquam responsi tuli.*

*Hoc postremo monendum censeo,* Gitta Gambir *non debere confundi cum* Gummi Gutta Gamba, Gutta Camboidea, *prout facile fieri posset ab ignaris pharmacopolis, nisi mature admoneantur.*

*Hæc* Gitta Gambir *jam ante plures annos nomine tenus nota fuit. De ea enim in* Valentini Museo Museor. T. I. *in Append. pag.* 25. *invenitur Epistola* Herberti de Jager *ad Domin.* Georg. Rumphium *in insula* Dinding

xis & controversiis in consultationibus ad
le-

---

ding *die* 25. *Januar.* 1684. *lingua Germanica scripta, in qua priori loco memoratus alterum certiorem facit, se tandem post multam curam aliquot ramulos* veræ arboris Gitta Gambir *in peninsula* Malacca *consecutum esse, cujus ramulum* Rumphio *submittebat. Postquam vero arborem* Gitta Gambir *descripserat, quæ hic addere supersedeo, de ejusdem* Trochiscis *sequentem profert relationem:*
" *Quod attinet ad* Trochiscos, *quos ex ea*
" *conficiunt, ad eos parandos sola adhibent*
" *folia, & interdum etiam non nihil de cor-*
" *tice: sive illa in lapide cum aquæ aliquan-*
" *tulo tenuissime conterunt, sive illa in ma-*
" *nipulos colligata macerant, aut integra*
" *frusta radicis una coquunt. Qui posterior*
" *præparandi modus apud Maleyenses obti-*
" *net; prior autem apud Javanenses in* Pa-
" limbang, Jamby, *plerumque in usu est;*
" *posteriore loco memorati* Trochisci *etiam*
" *sunt magis lutei quam Maleyenses, qui ex-*
" *terne subfusci evadunt, ad ocreæ terræ*
" *rubicundum colorem vergentes, &, prout*
" *mihi videtur, inter manducandum plus*
" *gummositatis præferentes, quam alteri.*
" *Hinc ego quidem crediderim, istum succum*
" *so-*

lectos ægrorum anſam dat, ſed & ex his magnum

" *ſolummodo propter tenacitatem nomen* Git-
" ta Gambir, *id eſt, gummi accepiſſe, dum*
" *Maleyenſes varios ſuccos arboreos, qui te-*
" *naces ſunt & coagulantur, hoc nomine in-*
" *ſigniunt. Horum Trochiſcorum Maleyen-*
" *ſium ſive placentularum aliquot una mitto,*
" *cum aliis nonnullis minoribus, qui ſublu-*
" *tei, & Malaccæ, me inſpiciente, confecti*
" *ſunt, & quidem ex ejus arboris contritis*
" *foliis cum pauculo ejusdem corticis in unum*
" *corpus redacti, & in hos* Trochiſcos *con-*
" *figurati, qui arefacti ad hanc conſiſtentiam*
" *coierunt. Ex quibus omnibus certus ſum,*
" *hanc plantam veram* Gitta Gambir arbu-
" ſculam *fuiſſe; quod mihi etiam folia indi-*
" *cant, quæ manducantur &* Betel *vocan-*
" *tur, quia ejusdem ſunt ſaporis, & ſali-*
" *vam eodem colore tingunt, quo* Trochiſci.
*Plura de hac arbore, ut & de* Gitta Gambir akar *libro citato legi poſſunt.*

*Porro de* Gitta Gambir *in Celeberr.* Rumphii Herbario Amboinenſi *Parte V. Libr. VII. Cap. XXXIII. pag.* 64. *inter alia leguntur ſequentia:*

" *Malaice* Daun Gatta Gambir *vocatur,*
" *ob amarum foliorum ſaporem, qualis per-*
" *ci-*

gnum incommodum imo damnum emergit,

---

„ *cipitur in Trochiſcis* Gitta Gambir *dictis*, „ *quarum arborum ſapor adeo convenit, ut* „ *putaret quis hoſce* Trochiſcos *ex ſucco fo-* „ *liorum hujus plantæ, quam hic deſcribi-* „ *mus, eſſe compoſitos, quod tamen non ita* „ *ſe habet.*

„ *Illa enim tota alia eſt planta, uti hoc mi-* „ *hi adparuit ex ramulo quodam, qui anno* „ 1684. *mihi a Domin.* Herberto de Jager, „ *ex Malacca transmiſſus fuit, cujus & fi-* „ *guram curaveram formari, ut hic ſimul* „ *locari poſſet, ſed quæ cum ramo aliisque* „ *chartis tres annos poſt per magnum incen-* „ *dium conſumta fuit, ita ut illam jam pro-* „ *ferre nequeam. Confido autem iſtam plan-* „ *tam dein deſcriptam fore per Dominum* de „ Jager, *in aliis ſuis operibus, ad quæ lecto-* „ *rem ablego.*

„ *Hoc unum adhuc addendum eſt, quod* „ *ab illo intellexerim auctore, in Sumatra* „ *nempe, ac forte in Java aliam quoque eſſe* „ *plantam repentem* Gitta Gammer Akar *di-* „ *ctam, cujus folia loco Pinangæ adhibentur,* „ *eodem modo, quo de noſtra* Daun Gatta „ Gambir, *diximus, quæ forte unæ eædem-* „ *que erant plantæ, ac verbum* Aker *Mala-*

„ *jen-*

git, dum ægrotis remedium negatur, quod phar-

---

„ *jensibus denotat non tantum radicem, sed*
„ *repentem quoque fruticem; sic quoque scien-*
„ *dum est, nostras plantas cognominatas esse*
„ Gambir, *hoc est* Jasminum, *non ob fo-*
„ *liorum aut florum similitudinem, sed, uti*
„ *puto, ob gratum florum odorem, qui quam*
„ *maxime ad* Jasminum *accedit.*

*In ejusdem operis Parte I. Libr. I. Cap. VI. pag.* 34. *hæc habentur:*

„ Gatta Gambir, *seu* Gitta Gambir *sunt*
„ *Trochisci instar denarii Hollandici* (als
„ een hollandsche schelling) *ex succo quo-*
„ *rundam foliorum ac farina confecti, pri-*
„ *mo amari, dein gratam ori præbentes*
„ *dulcedinem; qui gingivis & faucibus etiam*
„ *prosunt, ac labris elegantem adferunt co-*
„ *lorem.*

*Item, ibid. Part. I. Lib. III. Cap. XLI. pag.* 251. „ *Post usum Gummi Guttæ Maley-*
„ *enses superedunt paucam* Catsje *seu* Gitta
„ Gambir *quantitatem, ut nauseam ac su-*
„ *bitum compescant vomitum.*

*Fortasse adhuc plura de his* Trochiscis *in hoc* Rumphii *libro memoriæ prodita sunt; at, quia hoc opus admodum amplum atque diffusum, nulloque indice instructum est,* tem-

*tempus mihi omnino non ſuppetit, ut totum accuratius perſcruter.*

*Tandem Celeberr.* Alb. Seba, *habet ſequentia:*

Placenta Catagamber Japonica.

„ *Hæ* Placentæ *parantur de flore ſubti-*
„ *liſſimo ſucci* Cachou *Japonici, quem e fo-*
„ *liis atque fructibus arborum* Areck *dicta-*
„ *rum extractum, Japonenſes certa quadam*
„ *terra argillacea, pingui & molli, terræ*
„ *Lemniæ, vel bolo Armenæ ſimili, remi-*
„ *ſcent, & adfuſa aqua tamdiu calori ſolis*
„ *exponunt, donec maſſa fermentationem*
„ *concipiat. Qua nata, partes ſubtiliſſimæ*
„ *iſtius maſſæ in ſuperficiem enatantes, in-*
„ *ſtar cremoris lactis, ſeſe colligunt, & ad-*
„ *curate dein ſeparatæ in modulos orbicula-*
„ *res infunduntur, ut aliquot dierum mora*
„ *ibi ſpiſſeſcant: Tum vero* Placentæ *aſſeri-*
„ *bus impoſitæ exſiccantur porro, atque uſui*
„ *adſervantur, colore pariter ac magnitudi-*
„ *ne diſcrepantes. Externa eorum ſuperfi-*
„ *cies ſaturate flava quaſi cruſta obducta eſt,*
„ *intus dilutior eſt flavedo.*

„ *Japonicæ incolæ* Catagamber *has pla-*
„ *centulas adpellant, iisque multis in mor-*
„ *bis utuntur: Neque enim duntaxat in* acu-
„ tis febribus *ad demulcendum pectus, cum*
„ *aqua inſtar* Thee *infuſa adhibentur; ſed*

„ *etiam*

„ *etiam in* angina, aliisque inflammationi-
„ bus, aphthis, ingenti ficcitate & æftu:
„ *Si enim fruftulum talis* Placentæ *in ore*
„ *detinetur, egregie humectantur partes ari-*
„ *dæ, glandulæ falivales aperiuntur, & fa-*
„ *por gratiffimus undique fe diffundit. Ad-*
„ *de, quod* mucum *& pituitam quoque* ab-
„ ftergant, & ventriculum confortent,
„ *aliisque ejufmodi virtutibus falutiferis*
„ *quam plurimis fint infignes.*

„ *Refero hæc, uti bona fide mihi relata*
„ *funt a viro quodam, qui diu in* Japonia
„ *commoratus de hifce* Placentulis *fibi lar-*
„ *giffime profpexerat, & quandam earum*
„ *partem mihi quoque venum dederat.*

„ *Egomet ipfe tamen expertus teftor,*
„ *virtutes hujus præparati haud fatis lauda-*
„ *ri poffe.*

„ *Refiduum deinde illius maffæ defloratæ*
„ *adhuc in cupa contentæ, probe agitatum,*
„ *per cribrum in aliud vas trajicitur, re-*
„ *linquitur tunc, donec factus fit graviorum*
„ *particularum in fundum feceffus, fuperna-*
„ *tans inde aqua decantatur, fedimentum in*
„ *fundo hærens exficcatur, inque maffulas*
„ *rotundas ac quadratas coactum, ulterius*
„ *ad folem arefactum ufui fervatur fub no-*
„ *mine* Terræ Catechu. *Vid.* Ephem. Na-
tur. Cur. *Vol. IV. pag.* 227.

*Ob conexionem rerum Lectori non ingratum fore ſpero, ſi paucis aliam adhuc hic deſcribam arborem Indicam, noſtris etiam parum cognitam, aut in uſum vocatam, quæ tamen, ut ex circumſtantiis veroſimile mihi videtur, cum modo dicta* Gitta Gambir, *quoad vires & effectus ejus medicos, magnam habere videtur adfinitatem.*

*Ejus deſcriptio ſe habet ſequenti modo:*
„ *Domin.* de Garſin, *ex itinere ad Indos* „ *Orientales redux factus inter alias harum* „ *regionum minus notas plantas attulit ar-* „ *borem pomiferam Inſularum Moluccarum,* „ Mangoſtan *dictam, quæ in inſulam* Ja- „ vam *translata eſt, &* Malaccæ, Siamo „ *atque* in inſulis Philippinis *quoque colitur.* „ *Superbit hæc arbor frondibus tam pul-* „ *chris, regularibus atque æqualibus, ut* „ Bataviæ *pro ſummo hortorum ornamento* „ *habeatur. Fructu gaudet ſapidiſſimo &* „ *omnium ſuaviſſimo, vi refrigerante præ-* „ *dito, adprime ſano. Cortex colorem ha-* „ *bet intenſius cinereum, & variis fiſſuris* „ *per totum truncum diſtinctus eſt, in ramis* „ *vero lævior & viridior, corticem Evony-* „ *mi refert.*

„ *Cortex ejusdem virtutibus corticis gra-* „ *natorum gaudens,* Dyſenteriis *medetur,*

„ *NB.*

„ *NB.* tectoque nomine Bataviæ venditur;
„ *ibi infusionem & tincturam inde parant,*
„ *ac in* diarrhœa *&* Dysenteria *commen-*
„ *dant. Lignum non nisi ad ignes alendos*
„ *colitur.* Ex Histor. Reg. Scient. Acad. Parisinæ Ann. 1730. Commercium litter. Norimb. Ann. 1735. pag. 327. Item Ann. 1738. pag. 100.

*Plenam vero totius arboris descriptionem cum figuris nobis dat* Rumphii Herbar. Amboin. *Part. I. Libr. I. Cap. XXVIII. pag.* 143. *ex quibus sequentia excerpsi:*

„ *Ejus fructus optimus ac saluberrimus*
„ *habetur omnium fructuum Indicorum. . . .*
„ *maturi adeo sunt delicati & grate dulces*
„ *ac . . . . uvæ maturæ excogitari possunt,*
„ *simulque adeo succosi, ut multi vix sa-*
„ *tiari hisce fructibus possint, ob excellen-*
„ *tem odorem gratamque dulcedinem, pu-*
„ *taturque, quum ægrotus nullum alium*
„ *amplius adpetat, vel edere possit cibum,*
„ *hoc delectari adhuc fructu; si vero hunc*
„ *non desiderat, de ejus salute desperandum*
„ *esse, atque hunc in omnibus fere licet ede-*
„ *re morbis. . . .*

„ *Cortices exsiccantur, atque pro medi-*
„ *camento in* Dysenteria *ac* tenesmis *inser-*
„ *viunt, tanquam cortices granatorum, ve-*
„ *rum non adeo amari sunt. . . .*

pharmaceuticas præſcriptiones ſæpius longe ſuperat. (*r*)

§. XXXI.

---

„ *Cortex aqua contritus*, *atque eo os col-*
„ *lutum curat* aphthas.

*Hunc corticem* Mangoſtan, *quum nunquam oculis uſurparim*, *illis examinandum relinquo*, *quibus occaſio oblata eſt*, *ejus veras vires & effectus cognoſcendi.*

(*r*) Serum lactis ſubacidum, Lac ebutyratum, *imo* Lac ipſum aceſcens, *amiciſſimi ſunt naturæ noſtræ liquores*, *& non ſolum alcali bilis obtundendi*, *ſed etiam amiſſas vires reſarciendi ſcopo*, *optime conducunt.*

*Sic multi teſtantur ægri*, *ſe in* cholera *æque ac* Dyſenteria *maligna*, *præſtantius*, *quam a* ſero lactis, *non percepiſſe auxilium*, *ejusque* potu ſolo *ſe curatos eſſe.*

*Ruſticos inprimis*, *ſpretis omnibus pharmaceuticis*, ſero lactis, *itemque* lacte ebutyrato, *per totum Dyſenteriæ malignæ decurſum adſumto*, *præ aliis feliciſſime evaſiſſe legimus.*

*Teſtantur & alii* ſerum lactis, *illis*, *ad* immodicam ſitim *exſtinguendam*, *tantum laudatum*, *tam præſenti cum levamine ſemper potare conſueviſſe*, *ut miteſcentibus ſen-*

*ſim*

## §. XXXI.

*Clysteribus* Dysenteriam curare, ejusque fluxum sistere velle, absonum mihi videtur; Etenim illi non solummodo fontem mali non semper attingunt, sed etiam improvidus, aut nimis sæpe iteratus eorum usus majus incommodum inducit. (*s*)

Nunquam ego, nec alio fine, iis usus sum,

---

*sim per superiora & inferiora evacuationibus, ejus solius ope intra paucos convaluerint dies.*

*Hinc* serum lactis *aliis* remedium polychrestum *audit.*

Indi *in sua* Dysenteria *præscribunt diætam tenuem, & victum digestu facilem, interpositis acidis;* Lac *porro* ebutyratum *in magna copia hauriendum suadent, ut siti ægrorum occurant.*

(*s*) Helmontius *narrat, se præsente & stupente ab archiatris sui temporis viro Nobili dysenterico* 426. clysteres frustraneos *adplicatos, & post* mille sexcentas & amplius sedes *tandem ægrum suæ curæ commissum, perque ipsum, remedio oretenus adsumto, sanatum fuisse. Vid.* Furentem pleuram num. 33.

ſum, quam cum urgerent dolores, & tunc olea blanda cæteris palmam præripiebant. (*t*)

## §. XXXII.

*Diarrhœa benigna*, ſine vel cum vomitibus ſtipata, quæ Dyſenteriam intercedebat, *ſola Tinctura Rhei* facile ſublata eſt, vix unquam fere alio medicamento indigens.

§. XXXIII.

---

(*t*) *Minus adhuc conſultum eſt*, clyſteres injectos, *vel etiam urgentes* dejectiones alvinas, *voluntarie vel vi* retinere; *hæ enim retentiones ad ſuſpectos torminoſos cruciatus & gangrænam facile anſam præbent, ſicuti experientia aliter ſuadentium, hoc confirmatum eſt, vidi enim ſuaſu aliorum per externe adplicata linteamina, & homines ad hoc adpoſitos, tam* clyſteres, *quam etiam ipſa* excrementa, *magno conatu fuiſſe* repreſſa *& retenta, ſed cum ſumma ægrotorum noxa, imo interitu ita tractatorum.*

*Non tamen vano cuilibet ani ſtimulo ſtatim obtemperandum, ſed in hoc caſu ſphincter aliquamdiu, & quantum ſine notabili incommodo fieri poteſt, comprimendus eſt.*

## §. XXXIII.

Magno errore nitebatur *opinio* illorum, qui putabant, quosdam tam *facile e Dyſenteria ſanatos* eſſe, ſive illud aptis, ſive ineptis remediis contigerit; hi enim, morbum a morbo haud bene diſcernentes, *non diſtinguebant inter diarrhœam benignam* & *Dyſenteriam*, ſed quamcunque diarrhæam pro vera Dyſenteria habebant, hocque judicium parum accuratum, anſam præbuit, multos in praxi errores committendi.

Nam uti in ſimplici diarrhœa non tantum facilis erat ſanatio, ſed & natura incongrua alias medicamenta facilius & ſine notabili ſanitatis detrimento ferre poterat; ſic ſi eadem in male dijudicato *morbo dyſenterico* præſcribebantur, illa mortem accelerabant.

## §. XXXIV.

Propoſita fuit quæſtio, num illi, qui *ex aliis locis* & *ex alio aëre* ad nos tranſiiſſent in aërem, ut putabatur, infectum, citius ab hoc malo invaderentur, quam qui hic loci habitarent, & malo aëre jam adſueti eſſent?

At, uti nondum video, aëri venenato ac morboſo, quemquam adeo facile adſuefieri, aut cum illo in gratiam redire poſſe, ſic apud nos tutiſſimum erat, *vitare ægros.*

## §. XXXV.

Nec defuerunt, qui exiſtimarent, ejusmodi morbo *corpus humanum repurgari* & ſanius reddi, quam antea fuerit.

Sed & hi extra oleas ſaltaſſe, facile eſt videre. Nam etiamſi vel decies homo e contagioſis morbis emerſit, a reliquis ideo tutus non erit, teſte experientia; ita ut omnes hujus generis repurgationes ſanguinis, quibus tanto cum periculo vitæ æger defunctus erat, nihil conferre queant ad eum a novis morbis præſervandum.

Sic mihi, vigente Dyſenteria, ſe obtulit juvenis Nobilis ex equeſtri militia, quem intervallo quinque vel ſex dierum, poſtquam a *variolis* rite convaluerat, corpusque ab excrementis varioloſis repurgaverat, Dyſenteriæ contagium adortum eſt, a quo, licet feliciter, tamen non ſine periculo, convaluit.

## §. XXXVI.

Et *Dyſenteria feliciter ſuperata* quosdam impoſterum ſaniores vivere, eorumque viſcera firmiora reddi, quam ante illum morbum fuerant, ab aliis refertur.

In noſtra lue ex aliquot centenis unicum tantum novi exemplum in femina valde

obe-

obeſa, cacochymica, quæ poſt toleratam graviſſimam Dyſenteriam, qua per aliquot hebdomadas lecto adfixa fuit, nunc alacrius quam ante, degit; præter hanc in nemine alio hoc ego deprehendi, & rationem ejus ex obeſitate valde diminuta deduxi.

## §. XXXVII.

De *Dyſenteria Campenſi*, ad quæſtiones transmiſſas, ex Belgico ſermone latine reddita ſequentia mihi innotuerunt:

[1] Quæſt. Quænam *Dyſenteriæ ſpecies* Campis graſſata ſit?

Reſp. Valde *diverſa* fuit, tam ratione materiæ excretæ, ſymptomatum concomitantium, quam ratione eventus: *Ratione materiei:* Hæc initio ſæpe fuit mucoſa & ſanguinea, poſtea magis helioſa, interdum purulenta, interdum merus effluebat ſanguis. *Ratione ſymptomatum:* Quidam fuerunt ſine febri, quidam tertio aut quarto morbi die febrim ſentiebant, quæ paulatim vehementior fiebat. In quibusdam febris ab initio aderat una cum vomitu, animi deliquio, aut ſimili malo concomitante. *Ratione eventus:* qui a febre liberi manebant, nec virium detrimentum initio patiebantur, plurimam partem reſtituti ſunt: quos tertio aut quarto

to die febris invaserat, lente sanitatem recuperabant, vel eorum non pauci exstincti sunt; at quos febris initio statim incessit, spatio quinque aut sex dierum plerumque occubuerunt.

[II] Quæst. Quando *Dysenteria cœperit*, quando in *summo vigore* fuerit, & quando *desierit*?

Resp. *Tertio die Augusti* primus æger ex hoc morbo exstitit. A decimo sexto ejusdem mensis usque ad duodecimum aut *decimum quintum Septembris* maxima ejus fuit vehementia. Post duodecimum aut *decimum tertium Octobris* nullum novum ægrum habui, & sub *finem Octobris* plane cessavit.

[III] Quæst. Num ab *initio statim per totam urbem* coorta sit, an vero in *uno loco solo se* manifestarit, & sic per contagium progressa sit?

Resp. In *media urbe primum* orta *spatio duodecim* aut quindecim dierum *per integram urbem dispersa* est; at in una regione plures decumbebant, quam in altera.

[IV] Quæst. An etiam *alii circa vici* infecti fuerint, & quo tempore?

Resp. Versus Velaviam regionem in vico *Oudebar* & *Weesop* etiam mature morbus erupit, deinde in *Camperveen*, trans Isalam *Wilsoni*, *Yssełmuidæ*, *s'Heeren-broeckii*,

*ckii*, in quo loco adhucdum [menſe Novembri] graſſatur.

[V] Quæſt. Num etiam *omnis generis homines* ſine diſcrimine ſexus, ætatis aut conditionis adflixerit, an vero aliquid diſcriminis obſervatum ſit?

Reſp. *Nullum diſcrimen* adparuit, *ſenibus* vero & *parvulis* inprimis malum fuit funeſtum.

[VI] Quæſt. Quænam *principaliora ſigna* & *ſymptomata* tam ſalutaria, quam lethalia fuerint?

Reſp. *Nulla* aut *exigua febris*, *remanente adpetitu cibi ſalvo*, [licet ægri interdum XXX. ad XL. ſedes intra XXIV. horas habuerint] fuerunt *ſigna ſalutaria. Contra* ubi *febris* ſtatim *ab initio* accedebat, una cum *deliquio animi*, *nauſea*, *vomitu*, aut ſi poſt decem aut duodecim dies ſupervenerunt *ſingultus*, *aphthæ* aut ſimilia ſigna mala, illa plerumque exſtiterunt funeſta.

[VII] Quæſt. Quænam *remedia* in genere, aut in ſpecie bono aut malo cum ſucceſſu adhibita fuerint?

Reſp. *Generalis methodus* curandi hunc morbum non poterat ſervari. At ſi ægri in tempore & mature conſilio utebantur, optimum effectum e *Rhabarbarinis* percepi & *opiatis*, *Lac ebutyratum* ejusque

*ſe-*

*ſerum* multis profuit. De uſu *Ipecacuanhæ* multa laudare non poſſum. (*u*) *Adſtringentia* initio ſumta, ſæpe mala fuerunt, ſed præmiſſo evacuante, meliorem præſtitere effectum.

His annectebatur *Tabula mortuorum Campenſium* ſequenti modo:

| Anno 1736. | juniores, | adulti, | ſumma totalis. |
|---|---|---|---|
| die 25. Aug. | 16. - | 4. | —— 20. |
| 1. Sept. | 10. - | 17. | —— 27. |
| 8. — | 20. - | 39. | —— 59. |
| 15. — | 25. - | 36. | —— 61. |
| 23. — | 15. - | 33. | —— 48. |
| 29. — | 19. - | 14. | —— 33. |
| 6. Oct. | 7. - | 14. | —— 21. |
| 13. — | 7. - | 17. | —— 24. |
| 20. — | 6. - | 10. | —— 16. |
| 27. — | 3. - | 4. | —— 7. |
| | 128. | 188. | 316. |

In-

(*u*) *Dictum hoc ambiguum & Cl. Auctorem forte eadem radice uſum non eſſe, jam in prima editione indicavimus, & hanc noſtram opinionem fundamento haud fuiſſe deſtitutam, patet ex tractatu Domin.* Valkii, *utpote qui aperte fatetur, apud Campenſes eo tempore de uſu hujus radicis valde dubitatum, imo ejus uſum damnoſum fuiſſe judicatum.*

Inter quos tamen nonnullos fuisse, qui hoc morbo non interiere, simul monebatur. (*x*)

§. XXXVIII.

---

(*x*) Campensis hujus Dysenteriæ *Doctiss. Medicus* Valkius *peramplam descriptionem lingua Belgica typis vulgavit*, *titulo*: Relatio Medica de Dysenteria contagiosa, Campis & in circumjacente agro Ann. 1736. grassante, Harlemi 1745.

*Ex longa expositione pauca tantummodo, ad scopum nostrum facientia*, *excerpemus*; *iis vero præmittimus*, quæstiones modo allegatas, *quas e Belgico latine redditas nostro tractatui adjeceram*, *Domin.* Valkium *ex hoc iterum descriptas & belgice redditas Relationi suæ morbi Campensis inseruisse.*

" *Auctor ipse casu fortuito*, *tempore illius*
" *luis contagiosæ per aliquot menses* Campis
" *commoratus inter primos*, *sub initium*
" *mensis Augusti*, *vehementissime cum hoc*
" *morbo conflictatus est*; *& ab eo tempore*
" *malum illud per totam urbem serpere cœpit.*
" *At in ea parte urbis*, *ubi ortum est*, *ve-*
" *hementius sæviit*, *quam in aliis.*

" *Causa hujus aliorumque morborum con-*
" *tagiosorum*, *partes nostri corporis tam in-*
" *ternas quam externas adfligentium*, *secun-*
" *dum ipsa Auctoris verba*, *NB.* verosimili-

" ter

## §. XXXVIII.

Tandem conſcripto jam & ad finem perducto hoc opere, Vir quidam Nobilis, e re-

---

" ter *erunt quædam* inviſibilia animalia *vel*
" inſecta, *quæ in aqua generantur, & per*
" *aquarum exhalationes in aërem attolluntur,*
" *eumque replent, & cum vaporibus, nebu-*
" *lis & pluvia in terram deſcendunt;* aër-
" que inviſibilibus his animalculis plenus,
" *aut eorum ovis refertus ab hominibus at-*
" *trahitur & hauritur per halitum & va-*
" *ſa corporis reſorbentia, aut una cum*
" *potu & cibo deglutitur in carnibus, pi-*
" *ſcibus, oleribus & ipſa aqua, quibus re-*
" *bus hæc animalcula illabuntur; & ſic in*
" ſanguinem & ventriculum ingrediuntur,
" ibique nidulantur & excluduntur, ac
" deinde ejusmodi morbos gignunt.

" *Quod vero altera pars urbis magis alte-*
" *ra infeſtetur, id auctor derivat ab ipſa in-*
" *fectione & diſpoſitione aëris, qui & elevarit*
" *vapores, eosque alicubi minus condenſatos*
" *iterum humi demiſerit, prout videmus* ful-
" mina, grandines & imbres *diverſimode de-*
" *ſcendere, miroque modo* nunc hæc, nunc
" illa loca *tangere, aliis intactis.*

" *Huic conjecturæ auctor quoque ſuam*
" me-

regione *Transisalana* hanc civitatem transiens, mihi retulit, se novisse hominem quendam, olim servi munere apud illum perfunctum, sed inde a pluribus annis in vici-

---

" medendi methodum *accommodavit, quæ*
" *quidem perbrevis erat, eo tendens, ut*
" hæc animalcula in intestinis latitantia &
" nidulantia quamprimum interimerentur
" & ejicerentur, *quod reputabat, non ali-*
" *ter nec tutius posse fieri, nisi per usum*
" Mercurii, *quum hoc præcipuum sit reme-*
" *dium ad exstinguenda hæc insecta.*

" *Proinde etiam omnibus suis ægris, hac*
" *lue laborantibus, extemplo* Mercurium
" dulcem *purgantibus maritatum, quampri-*
" *mum præscripsit sumendum.*

" *Quo facto, ad sedandos dolores, lenien-*
" *tia & anodyna adhibuit, in quibus* opium
" *agmen ducebat.*

" *Porro præcipiebantur medicamenta* bal-
" samica & adstringentia *ad sananda intesti-*
" *na, quorum remediorum formulæ & præ-*
" *scriptiones adnotatæ sunt; præterea expo-*
" *nitur, quomodo in ægris adplicatæ sint,*
" *quem effectum præstiterint, & quo cum suc-*
" *cessu; adposito catalogo eorum, qui ex hac*
" *Dysenteria, per eundem Medicum tractati,*
" *convaluerint, quique ex ea perierint.*

cino, prope prædium ſuum oppidulo, *Risſen* dicto, habitantem, ibique negotiantem, qui *initio menſis Septembris* An. 1736. *Dysenteria griſea*, cineritia, prout ipſam vocabat, quia raro aut parum ſanguinis admixti ab ægris excernebatur, correptus fuerit.

Hunc, cum ægrotaret, quatuor ejus fratres inviſebant, eique miniſtrabant; hos vero omnes eodem morbo infectos fuiſſe;

Idem eveniſſe vicinis, & ſpeciatim iis, qui ad eum viſendum acceſſerant, ægrumque tractarant;

Hac via morbum gradatim & quaſi domatim per eandem plateam propagatum eſſe.

Poſtquam autem reliqui incolæ id animadverterant, & infectos fugere cœperant, reliquæ plateæ non adeo tentatæ fuere, ita ut in iis vix unus & alter eo malo laborarit.

Inde autem accidit, ut ejus oppidi cives infectas ædes adeo horrere inciperent, ut nemo in easdem intrare voluerit;

Præterea ruricolas tantus ab infectis horror inceſſerat, ut nullus in eorum domos commigraret; Si vero neceſſe habebant, cum quopiam in oppidulo colloqui, incolas ex ædibus evocarunt, & in platea eminus ſtantes ſermonem contulerunt, ac ſi ſibi res eſſet cum *Peſte* infectis.

Hac autem cura & prudentia ruſticorum ne-

neminem rure & extra oppidum oppidum infectum fuisse.

In ipso oppidulo morbum usque ad finem *Januarii* 1737. grassatum esse, & ultra quadraginta vel quinquaginta homines letho dedisse; imo circa initium *Aprilis* ejus reliquias adhuc exstitisse, unumque & alterum obiisse.

Prius memoratus æger, qui primus erat, per quatuor hebdomadas cum morbo conflictatus ex eodem interiit, uti etiam ejus parvulus infans & alter fratrum; uxor vero ejus mansit sana.

Reliqui post eum infecti ut plurimum intra 7. 8. aut 9. dierum spatium abrepti sunt.

Dicebatur, pauca vel nulla convenientia medicamenta adhibita esse, cum nec Medicus ibidem habitet, & homines ab impensis, in medicamenta faciendis, alieni sint.

## §. XXXIX.

Accuratior quidem hujus morbi contagiosi relatio optanda esset, sed eam consequi non datur.

Interea tamen hoc notabatur, quod, cum ibidem locorum *nulli fructus horæi* nascantur, exinde manifestum fiat, primam originem mali ab eorum usu ortum non ducere.

Causam autem transferebant in hoc, quod ille homo aliquot diebus antequam morbo corriperetur, *puteum effodiens*, diu in aqua frigida stans opus fecerit, ut hoc modo multum *algoris* passus & a Dysenteria correptus credatur.

At, cum eundem jam antea minus firma valetudine usum fuisse, simul nuntiabatur; adhuc incertum est, utrum ad hunc morbum *nimius* talis *algor* in aqua stantis, num vero antecedens status valetudinarius, an uterque simul, vel aliud quid, malo ansam præbuerit? inprimis cum in hoc sufficientis relationis defectu nil certi definiri queat.

## §. XL.

Occasione hujus casus memini me legisse in *Dissertatione de Dysenteria Cel. D. Stahlii* relationem morbi, *speciem Dysenteriæ* mentientis, quem Illust. Auctor sibi ipse concitaverat, cum quondam mense Decembri, *frigida* admodum *tempestate*, per totum tempus pomeridianum in laboratorio spatioso, eoque admodum frigido occupatus esset inter aliquot numero diversas operationes chemicas, quarum una erat præparatio Clyssi Antimonii tartarisati &c. Superiore tunc corporis parte ad sudorem calebat, sed crura & pedes ipsi frigore rigebant

a pavimento lapideo; insuper multum vaporem illius Clyssi ad nauseam usque hauserat. Paulo autem post absolutum laborem, insolitis ipsi alvi torminibus acutis, dejiciendi conatu, dejectionibus liquidis cruentis, tenesmo, motibus febrilibus &c. corripiebatur.

Hunc autem adfectum potius *catharctico-hæmorrhoidalem*, quam vere dysentericum, fuisse declarat, ortum ducentem a vapore illo fuliginoso Clyssi tartarisati, copiose per respirationem hausto, cum mox a primo impetu & sedes notabiliter minuerentur, & nihil neque spumidi, neque quod ulcerosam materiam referret, ostenderent, ut vulgo in Dysenteria fit, contagiosæ vero dispositionis ne vestigium quidem adesset, neque ejus legitima suspicio &c.

## §. XLI.

Jam quidem inficias non ibo, memoratum vaporem aliquid ad hunc morbum contulisse; interea tamen credere licet, illam ægri constitutionem, dum æger superiore corporis parte incaluerat, at inferiore frigebat, magis pro causa illius fluxus alvini habendam esse, quam ipsum vaporem; inprimis cum ipse Clariss. Auctor *insolitis caloris* & *frigoris vicissitudinibus* & muta-

tionibus maximam causam alias exorientis Dysenteriæ tribuat.

Ipse memini, me olim media & percalida æstate ab ambulatione incaluisse, deinde quietis capiendæ causa humi desedisse: quo facto frigus soli inferne in corpus penetrans horrorem mihi incussit, & die insequenti species Dysenteriæ seu, si mavis, diarrhœæ torminosæ & mucosæ me invadebat, ex qua per aliquot dies æger jacebam. (*y*)

§. XLII.

---

(*y*) *Cum ex superioribus intellexerimus morbum hunc plerumque ex ardore solis & immodico vel insueto aëris calore verno vel æstivo tempore excitari, ac per subitum, corpore calente, admissum frigus in actum deduci, merito taxare liceat pessimam mortalium consuetudinem*, qua vel media æstate calida, aut sudo autumnalis tempestatis cœlo, tam interdiu, quam vespera, vel in ipsum solum rure, aut in urbibus præ foribus in frigida subsellia lapidea sessum concedunt, *sibique, dum ipsorum pori adhuc sunt aperti, notabilem corporis mutationem adferunt.*

*Ab hoc refrigerandi abusu genus humanum serio dehortandum;* nimiusque calor & fervor solis æque ac aër frigidus vespertinus,

*non*

## §. XLII.

Sunt itaque inæquales ejusmodi & ſubitæ mutationes ad inducendum alvi fluxum utique valde efficaces, idque hoc magis, ſi in ſuperioribus partibus motus *ſecretorii & excretorii* intenduntur & promoventur, at in inferioribus propemodum validius inhibentur; tunc enim non ſolum inteſtina a penetrante frigore relaxantur, tonoque fiunt remiſſiore, ſed & per tam inſignem, & adhuc magis per continuam & diuturnam motuum illorum inæqualitatem magnæ etiam turbæ, confuſiones & perverſiones ſecretionum & excretionum in œconomia animali excitantur, & variis ſtagnationibus & corruptionibus humorum, inprimis in abdomine, anſa præbetur, ſic ut inde omnino & neceſſario fluxus alvi inordinati, dolorifici, mucoſi &c. oriri debeant.

## §. XLIII.

Interea tamen tales eventus nondum ſufficere mihi videntur ad producendum morbum

---

*non ſolum univerſim, ſed & ſpeciatim tempore graſſantis mali, ſedulo vitandi erunt, ne adeo facile eidem morbo aliisve implicemur.*

bum contagiosum, prout id etiam supra allegatus Clariss. Auctor suo exemplo docet, nosque ejus rationes jam supra prolixius enarravimus.

## §. XLIV.

Undecunque vero initio in homine ortum ducat *contagium*, cum in nullius potestate positum esse videatur, ut illud *a priore* prospicere & prohibere queat, ne in suo corpore nascatur; Imo vero illud æque repente & inopinato, dum nihil minus timetur, oritur, quam cum putamus, nos posse antecedentem causam indicare.

Ita *ex supra recensitis*, ut & ex brevi illa relatione de morbo oppiduli *Rissen*, hoc maxime discere licet, *qua via malo orienti rationali modo mature obviam eundum, ejusque progressus* sistendus sit, ne latius serpat & propagetur.

Hoc ostendisse, ad commodum & salutem humanæ societatis non parum conducere, mihi quidem videtur.

T A N T U M.

# RELATIO HISTORICA
## DE
# CASU SINGULARI,
*QUO*
## PER MERCURIUM SUBLIMATUM, IN EMPLASTRO ADPLICATUM,
*MORS*
## INDUCTA FUIT.

Ἀκεσίας τὸν πρωκτὸν ἰάσατο.

*Acesias podicem medicatus est.*

Ex *Zenobio* hoc adagium commemorat *Celeberr. Bajerus in Adagiorum Medic. Centuria.*

# L E C T O R I,

## *S A L U T E M!*



Eſcio quo fato accidat, *Amice Lector*, ut novum de *Venenis* ſermonem Tecum inſtituere cogar.

Cum enim vix a meditatione de *veneno Dyſenterico-bilioſo* receſſiſſem, hiſtoriamque *morbi* illius *Epidemici* abſolviſſem, ecce, iterum abripior in aliud *venenum* & *malum Epidemicum*, quod pari pernicie, ſi non majore, in vitas hominum graſſatur, ac modo dicta lues: nimirum *in Circulatorum graſſantium veneficos & temerarios auſus:*

Auſus ſane humano generi eo perniciosiores atque magis lethiferi, quod per hos non tam a morbo, aut morte naturali, cui omnes mortales obnoxii fiunt, invaditur, ſed a peſte longe atrociore, quam omnes homines ſummopere horrent, nempe a manibus truculentiſſimis male feriatorum hominum.

His enim ſi ubique licenter & impune graſſari permitteretur, brevi tempore tot incolas e ſocietate humana tollere poſſent, quot *morbus Epidemicus* vix interficeret, imo *perpetua Reipublicæ peſtis* exiſterent.

Cru-

Crudelis enim hæc natio nemini parcit, nec adultis, nec parvulis, nec ditioribus, nec egentioribus, ſed in iis omnibus adhibet *violentiſſima* & *maxime venenata medicamina*, quæcunque audacia impudens ei ſuppeditat; adfectosque, qui in iſtam incidunt, in tam ancipitia mala præcipitat, ut eadem nec naturæ vires, nec artis auxilium ſuperare valeant; adeo ut, quod ipſa mors in morbis naturalibus reliquum vitæ fecerat, mortifera iſtius manu auferatur.

Vagantur quippe iſti errones per orbem, nullo charactere, niſi ſolo impudentiæ & audaciæ dono ditati. Intrant in urbes, inhiant crumenæ, inſidiantur ſanitati, impugnant vitas famamque civium, necantque immiſericorditer; deinde abeunt, corraſa maleque parta ſecum portantes, nihilque civibus relinquentes, niſi notas male peractæ artis, aut non raro tragœdiarum reliquias.

Verum enim vero, hujus furfuris ardeliones non ſolum ſolida artis Medicæ cognitio deficit, ſtudiique phyſici ignariſſimi ſunt, ſed etiam eadem illa inſcitia in illud ipſum malum præcipites feruntur, ut arrogantia turgentes, tanquam ſtrenui artifices, nil niſi medicamenta heröica & potentiora deament, & quidem talia, quæ vehementiſſimis venenis etiamnum accenſentur, qualia

lia ſunt ex. gr. ex *arſenico*, *mercurio ſublimato*, &c. parata.

Hæc tanquam arcana & panaceas ſecum circumferunt, audaci impetu indiſcriminatim iisdem utentes, merasque curas heröicas animo cogitantes, quales nullus Medicorum præſtare poſſit; in quo poſtremo quidem adeo falſi non ſunt, cum horum nemo tam interneciva remedia in uſum adſciſcere debeat.

Sed ubinam locorum iſtiusmodi Thraſones artem aut ſolidam rei medicæ ſcientiam didicerunt? num forſan in tranſitu? an vero inter tondendum barbas?

Hæc enim natio, ſi eam artificibus aliquo modo annumerare vellemus, nam de aliis agyrtis medicaſtris nunc non loquor, vulgo originem ducit ab uno vel altero barbitonſore.

Hi initio artis ſuæ barbam tollere, dein venam incidere, & vulnus levius obligare diſcunt; poſtmodum, ubi vel faciliori vel difficiliori operationi chirurgicæ tanquam miniſtri interfuerunt, promoventur in artis magiſtros, & alicujus centuriæ aut cohortis Chirurgi conſtituuntur.

Hoc facto in militibus, qui vitam pretio venalem habent, & qui ad cædes deſtinati videntur, artem exercent, & diſcunt eosdem artificioſe trucidare. Idque tam diu

tam-

tamque vario modo præſtant, donec habitum quendam induerint.

Si hoc modo ſatis diu arti mortiferæ operati ſunt, tandem dimittuntur.

Tunc fortunæ periculum alibi facientes, ſuapte ſibi auctoritate Doctoris titulum arrogant, *vel per modum tranſeuntis*, ut loqui conſueverunt, ſe in *Doctores ignorantes* creari curant, ac *uroſcopiæ & uromantiæ* maxime gnaros ſeſe profitentes, incautæ plebi imponunt; ſicque per terras oberrantes prædam venantur, ſibi ſolatio ducentes, ſe, ſi in uno loco neminem in naſſam pertrahere potuerunt, tamen nullius rei jacturam feciſſe, & fortaſſe in altero uberiorem capturam conſecuturos, ſeque, antequam omnes terras & urbes pervagati fuerint, diem ſupremum obituros eſſe.

Cum autem, uti jam diximus, magna illorum hominum ars audacia conſtet, ita nullum non negotium, quodcunque ipſis offertur, in ſe tractandum ſuſcipiunt, etiamſi in illo nullam peritiam nacti ſint; fere ubique aut cum periculo diſcere, aut periculum facere haud verentur, nihil penſi habentes, ſi conamina ſua infelicem exitum nanciſcantur, nulla conſcientia tacti, etiamſi re peſſime confecta, æger ſub eorum manibus intereat.

Tales medicaſtri graſſatores, in carnificina

na nati, & publica animadverſione digni, carnificum more innoxium proximum ſplendido adparatu interficiunt.

Et tamen magna audacia & thraſonica ambitione undique conquirunt ægros, in ignorantiæ victimas ceſſuros, nec eos alieni ſanguinis ſatietas unquam capit.

In tecta irreptant, & ſeſquipedalibus ac phaleratis verbis & jactantia ipſis propria ac conſueta aures hominum implent, ac doloſa fraudulentia ipſis perſuadent, ut ſua ipſis capita credant, quibus nemo prudens ſecandos ungues commiſerit.

Si offendunt levem ex. gr. tumorem, ſtatim dicunt, adeſſe adfectum capitalem, cui præter ſe nemo mederi queat; ſtatim Cancrum & neſcio quod carcinoma crepant. Hoc dolo atque terrore offuſo id conſequuntur, ut ſub terrifico objectu ignaris Æſculapii videantur, ſicque deceptos multa pecunia emungere poſſint.

Credibile etiam eſt, matronam, de qua mox locuturi ſumus, ſi Circulator in hoc caſu rem paulo felicius geſſiſſet, ejus operam centum aureis debuiſſe redimere, ipſamque pudoris & honeſtatis ratione ne contra quidem hiſcere auſuram fuiſſe, ne res in vulgus exiret.

His enim & ſimilibus technis & ſceleſtis fraudibus ægros terrent, ut damnum

&

& pudorem cum periculo, cui ſe objecerant, celent.

Cum vero frivoli illi Chirurgi macellarii lethales ſuas præſtigias inter milites impune exercuerunt, nil niſi experimenta per cædes aut mortes facere adſueti; jam ab iis tranſitu facto etiam in populoſas & bene conſtitutas civitates graſſari conantur, ſtupent & obganniunt, ſi, unde ſcientiam nacti ſint, inquiritur.

Non tantummodo ſibi ſoli ſapere videntur, omniaque ſalutaria monita faſtidioſe aſpernantur, ſed etiam, ubi malis iſtorum conatibus obviam itur, Medicos inprimis taxant, eosque contumeliis conviciisque proſcindunt.

Debacchantur autem non ſolum ſingulatim in unum alterumve Medicum, in officio publico conſtitutum, qui internecivos eorum conatus ſufflaminare nititur; verum integra Collegia celeberrimarum urbium fœdiſſimo modo traducere & infamare non verentur.

Quod quidem non mirum, nam contra regulas naturæ eſſet, ſi ab impuro fonte puræ dimanarent aquæ.

Ut vero hoc hiſtrionum genus pro impuriſſimo atque pernicioſiſſimo habetur, quod in ſentina plebis invenitur, ita Augiæ ſtabulum purgare videri poſſet, qui exquiſito

ſtu-

ſtudio omnes illorum fraudes recenſere, in ſe ſuſciperet.

Ne tamen craſſa illorum crimina atque delicta publico ſemper lateant; exemplum improbi talis, e variis urbibus ob artem ſuam internecivam ejecti homuncionis, ut jam omnibus patefaciam atque oſtendam, ad id caſus infra memorandus me permovit, ſimulque ut omnes Medicos quam maxime adhorter, ut quilibet non tantum ſuo in loco accuratius attendat ad hoc latrunculorum genus, ſed etiam operam det, quo Magiſtratus videant, ne quid vita civium per tales Circulatores detrimenti patiatur, nimis facile iisdem indulgendo veniam graſſandi, ne eosdem lethiferos effectus experiantur, quales apud nos cum interitu Nobiliſſimæ Matronæ & ſummo noſtro cum dolore producti fuere.

Prout enim in quavis bene conſtituta civitate nulli Chirurgorum licet, ne ullam quidem graviorem operationem chirurgicam ſoli & ſine inſpectione conſtitutorum Medicorum ac Chirurgorum adgredi, ita hoc minus Circulatoribus permitti debet, cum triſtes eventus jam ſatis docuerint, a talibus lanionibus homines pecudum inſtar mactari, ſi modo nummos corradant.

Fugiendi potius, & in Republica bene conſtituta nullo modo tolerandi ſunt ejus-

modi interfectores Medicastri & rei medicæ imperiti; nam sunt aptissima instrumenta ad committenda certissima homicidia medica & chirurgica.

Satius esset naturaliter mori, quam ab ejusmodi tenebrionibus interfici.

Tristissimum violentæ talis mortis exemplum & experimentum nostris oculis vidimus, & quidem hoc notabilius, quia accidit in Matrona, quæ superioris anni autumno cum Dysenteria graviter conflictata, sed feliciter restituta fuerat.

Hæc Matrona sinistro quodam fato in venenatas pessimi bipedum manus incidit, quæ eidem loco salutis ipsam mortem intulere.

Facinus autem hoc perpetravit nasutulus iste Empiricus & thraso carnifeca per venenum, quod ipsi familiarissimum fuit, nempe per *Mercurium sublimatum album corrosivum*, quem sub specioso *arcani caustici* titulo, tecte & artificiose sub forma *Emplastri* in variis accidentibus adhibere, ægrosque & sanitate & vita privare solitus erat.

Ausum sane, si unquam aliud, hoc certe temerarium dicendum est; At quid non audet truculentissimum hoc hominum genus, quod circumforaneorum & agyrtarum nomine venit?

Eo

Eo minus vero illud reticendum erat, quod hic temerarius Ardelio putabat, ſe inveniſſe novam viam, homines clandeſtino modo & ſub titulo artis e medio tollendi.

Hinc ſpeciatim ægerrime tulit doluitque lethiferum hoc arcanum, quod ſibi ſoli ſervaturum putabat, hac occaſione patefactum, ipſum vero de vetito ſuo exercitio & poſſeſſione deturbatum eſſe.

Spero autem, me generi humano officium haud contemnendum præſtiturum fore, ſi tale arcanum venenatarum artium retexero, & Publicum admonuero, ne neceſſe ſit, ut id plures proprio nocumento & vitæ ſanitatisque jactura, experiantur. Proverbio dicitur, *alieno periculo cautius mercari diſcimus.*

Et quanquam hæc methodus *Mercurium ſublimatum in forma Emplaſtri* adplicandi, non nova, ſed jam pridem a Chirurgis caſtrenſibus uſurpata fuit, tamen vix quisquam crederet, eo temeritatis hos homines proceſſuros, ut nulla habita ratione, in omnibus fere adfectibus oblatis, vehementiſſimum hoc venenum adplicaturi, atque inſuper *neque modum, neque ullam quantitatis menſuram* ſervaturi eſſent; prout hic Circulator egit; ſpecimenque eſt ſummæ petulantiæ & inſcitiæ, quod non niſi triſte & exitioſum eſſe poterat.

 In

In promtu quidem habent commune refugium atque aſylum iſtiusmodi Medicaſtri; nam ubi in uſum vocarunt aliquod remedium, quod lethalis effectus inſecutus eſt, ſtatim ſuum facinus excuſare, & ignorantiam ſuam velare ſatagunt, dicentes: *hunc vel illum Medicum medicamen illud laudaviſſe*, *aut ipſummet* eodem cum ſucceſſu *uſum eſſe.*

At inſulſi iſti homines virtutes & effectus phyſicos, quæ medicaminibus per ſe & ex ſua natura conveniunt, non ſolummodo ignorant, vel ſaltem non ita perſpectos habent, uti oporteret, qua nimirum occaſione, quo in adfectu, qua quantitate, quibusve cautelis illa adhiberi, aut quando rejici debeant?

Verum etiam illos effectus phyſicos, remediis proprios, contra apertam veritatem & conſtantem experientiam negare audent.

Jactant modo & crepant mera miracula, quæ per ſua venena edidiſſent, admodum callide celantes, quantum noxæ per eadem aliis intulerint.

Si vero de malis effectibus pariter gloriari ipſis liceret, enectorum majorem ſane catalogum recenſere poſſent.

Vaniſſima hinc & ineptiſſima hæc ſunt iſtorum blateronum effugia, quibus ſuam ignorantiam & commenta infucare tentant.

*Duo*

*Duo cum faciunt idem, non esse idem*, ex vulgari proverbio constat.

Multum differt peritus & prudens Medicus ab ignaro Circulatore, cum scientia, tum doctrina.

Inde enim non sequitur, quod, dum unus aut alter Medicorum ex. gr. *Mercurium subl.* adhibuit, nec tamen is, in quo adhibitus est, interiit, ergo quivis ineptus eum adhibere, nec per illum damnum inferre possit?

Omnia medicamenta generatim sunt instrumenta, quæ prudentem & cautam periti Medici manum exposcunt, quo bonum, qui inde expectatur, effectum sortiantur.

Si vero incautus Medicaster idem medicamentum in auxilium adhibet, idque perverso tempore & ordine, aut nimia quantitate &c. tunc non tantum omnes Medici, sed & quilibet sensu communi præditus dicet, etiam *simplicissimum pharmacum* perversum & noxium effectum edere debere.

Quid vero de *remediis minus tutis*, minusque probatis, imo de *venenis* expectandum erit, quando ab ignorante Medicastro adplicantur, qui, ex inopia solidioris artis, antiquis solummodo suis experimentis nititur, sicque absque ulla methodo observata, & ullo judicio, crude & crasse in sanitatem & vitam humanam grassatur?

Ut nunc non dicam ex. gr. de *Opii* quantitate, quanta differentia deprehendatur, qualisque effectus ſperandus ſit, ſi cui, loco *trium* aut *quatuor granorum*, *triginta*, *quadraginta* aut plura propinentur.

Sed adhuc aliud remedium lethiferum in medium producam, quod talibus erronibus & Chirurgis caſtrenſibus familiare quoque eſt, nempe, *Arſenicum*, quod ſub varia forma, modo pulveris, modo Tincturæ, modo pilularum &c. ægris adverſus febres intermittentes aliaque mala propinare ſatagunt.

At, ſi in magno numero laborantium unus vel alter robuſtioris naturæ iſtud venenum ſuperat, aut, ut iſti dicunt, ſanatur, quot non contra eo intereunt?

De *Arſenico*, *externe* tantummodo *adplicato*, ante aliquot annos mirum vidi effectum; namque ruſtici quidam præparant ex *Arſenico decoctum*, eoque corpus lavant, mirifice illud contra *ſcabiem* facere prædicantes. Tale decoctum duo milites a quadam anicula accipiebant, eoque ſcabiem abluebant; ſcabies quidem hac abluitione evanuit, ſed utriusque genitalia tanta inflammatio atque intumeſcentia invaſit, ut aſpectu horrendum eſſet, quibus conjuncti erant intolerabiles dolores, vehemens febris, vigiliæ, ſitis &c. totusque locus adfectus brevi tempo-

po-

pore tantam contrahebat nigredinem gangrænoſam, ut de perfecto ſphacelo jam ſollicitus eſſem. Tandem vero multa adhibita cura ſeparatio ſphacelati ſuccedebat, & paulatim laborantes reſtituebantur.

Specificus autem hic editus in iſtis partibus effectus *Arſenici*, externe adplicati, vel ideo magis notatu dignus exſiſtit, quod nemo ad hoc venenum reſpexerit, cum iſtæ partes hoc decocto deunctæ non fuerint, nec dubium eſt, quin hi milites *cauſa* quadam *occulta*, ut quidam Medici, læſionum & mortis rationes ignorantes, loqui amant, interituri fuiſſent, ſi idem decoctum liberaliore quantitate adhibuiſſent.

Vices vero eorum dolendæ ſunt, quibus accidit, ut in tam immites carnifices incidant; Nam etiamſi vitæ periculum effugiunt, tamen ſanitatem admodum adflictam referunt, nec ſciunt, unde hoc incommodum illis natum ſit.

Et ſi caſus, de quo hic agimus, eveniſſet apud inopes, aut obſcuro loco natos, ad quos Medicus vocatus non eſſet, adhuc tenebris obtectus lateret, atque ignoraretur; quæ fuit opinio & exſpectatio ipſius Circumforanei, quod ex ipſius adhibito interdicto, *de non arceſſendo Medico*, ſatis ſuperque patet; at, quia ſtupidus hic Matronam tractabat, quæ ejus arti non amplius fide-

 bat,

bat, fieri nequibat, quin horribile ejus arcanum vulgaretur.

Jam quidem in ipſam ægram aliquis culpam conjicere poſſet, dicens: Hæc Matrona admodum imprudenter egit, dum inconſulto Medico & clam & incertæ fidei homini ſalutem credebat, inprimis cum illa per complures annos meo conſilio uſa, & in ſupra dicta Dyſenteria diligentia mea ipſi adhuc noviſſime probata fuiſſet;

Verum enim vero, non tantum pudor ſexui ſequiori proprius in cauſa fuit, cur locum adfectum a viro noluerit inſpici, & initio ne quidem ab ipſo Circulatore, ſed etiam res fere inaudita exſtitit, quempiam per emplaſtrum fuiſſe exſtinctum; itaque hæc Matrona de adplicando Emplaſtro nihil mali ſuſpicari potuit, ſed opinione vulgari credidit, id, quod externe adhibetur, interne noxam adferre non poſſe:

Et hinc etiam adeo obſtupuit, cum ego ad eam vocatus, ſtatim, antequam mihi Emplaſtri adplicatio indicata fuiſſet, pronunciarem, ipſi venenum datum eſſe.

Erronea vulgo opinio apud rei ignaros obtinet, id quod externe per Emplaſtrum adhibetur, in corpus non penetrare, nec in eodem mala operari poſſe.

At ſi paulo curatius animum attendamus ad hanc poſitionem, inde ſequeretur, bonum

num quoque Emplaſtrum nihil utile præſtare poſſe, & conſequenter omnia Emplaſtra eſſe inefficacia & ſupervacanea.

Cum vero quotidiano uſu conſtet, Emplaſtrorum ingredientia ſe per poros cutis in corpus inſinuare, neceſſario bonum aut malum præſtant effectum, pro ſalutari aut noxia ingredientium facultate; teſtante hoc ſolo *Emplaſtro veſicatorio*, quod, ſi nimia quantitate, aut nimis ſæpe adplicatum fuit, mictum cruentum inſecutum fuiſſe, obſervationes docent.

Remedia itaque externe adplicata eundem edunt effectum, quem interne; hac ſola re inter ſe differunt, quod ea, quæ intro adſumuntur, minori doſi, & quæ externe in uſum vocantur, majori quantitate ſumi debeant, ut aut bonum aut malum effectum ſiſtant.

Nec quisquam ſanæ mentis inficias ibit, quin etiam externe tantum veneni in aliquo adplicari poſſit, quantum ad eum enecandum ſufficiat.

In ſpecie vero de *omni Mercurio*, ſive vulgaris, currens, ſive quocunque modo præparatus ſit, experientia jam dudum notum eſt Medicis, ipſum quacunque corporis parte *externe* adhibeatur, admodum celeriter per poros ſe corpori inſinuare, inque eo efficacem ſe ſiſtere;

Adplicentur ex. gr. alicui modo externe *tria* vel *quatuor grana Mercurii ſublimati* ſimul & una vice, quacunque corporis parte quis velit, certe, eum non ſine magno incommodo feret, quamvis eo non ſtatim morietur;

Adplicentur autem alicui etiam externe & quocunque loco placuerit, una, vel duabus, vel tribus vicibus, ſe invicem ſubſequentibus, ut noſter Circulator fecit, *triginta*, *quadraginta* aut *plura* ejusdem *Mercurii ſublimati grana*, ſi cuidam ſtupido atque imperito adlibuerit, tunc videbit, *an non certe tantum adplicari queat, ut inevitabilis inde mors ſecutura ſit?*

Cautiſſime itaque in exhibenda & augenda doſi *Mercurii ſublimati* procedendum eſſe, omnes conſentiunt Medici.

Experientia enim abunde conſtat, quanta damna minus providæ externæ adplicationes *mercurialium remediorum ſuſpectorum* concitaverint.

Et exſtant obſervationes, ubi perpauca & *vix quinque* vel *ſex grana Mercurii ſubl.* externe tantum adplicata, faucium & gingivarum inſignem tumorem, ut & *largam ſalivationem* excitarunt. *vid. Commerc. litt. Norimb. Ann.* 1732. *pag.* 246.

Rei etiam cardo quam maxime in *noſtro caſu* vertitur in *quantitate Mercurii*

*rii sublimati*, quam Circulator adhibuit;

Ipse Circulator hoc animadvertens in Apologia sua ad Ampliss. Magistratus *pondus Mercurii sublimati* in Emplastris adhibiti *definire aut confiteri nunquam ausus* est:

Contra, quovis modo, & quantum potuit, illud obscurare & diminuere, eoque, si fieri posset, malum suum factum obtegere conatus est:

Semper enim de *duobus tantum Emplastris* corrosivis mentionem fecit, & *tertium* malitiose celavit:

Ac præterea contra veritatem prætendit, *primum Emplastrum causticum* nullum effectum edidisse:

Cum tamen *tria* ejusmodi *Emplastra* successive adhibuerit, quorum quidem *primum* non in adfecto loco, at infra eundem magnum vulnus erosit, & sic certe vires suas in corpore ægræ exseruit.

Variatio vero & inconstantia sermonis Circulatorem suspectum reddit; ob mendacium autem præsumitur dolus apertus, præsertim si commodum inde captare putet mendax.

Si Circulator bona fide egisset, & si aquam sibi hærere non sensisset, certe non tergiversatus esset, veram & præcisam Mercurii sublimati in Matrona adhibiti quantitatem profiteri.

Si divinando rem adsequi licet, Circulator

tor *primum Emplastrum corrosivum* famulæ tradens tanta Mercurii sublimati quantitate conspersisse videtur, quanta ab ipso ad absolvendam curam sufficere putabatur, quia credebat, illud extra urbem Ottmarsiam missum iri.

Cum vero illud effectum quidem, sed non in justo loco ediderit, ipseque insuper *adhuc duo* caustica adplicuerit, ex eo utique statuendum videtur, eum *triplo majorem* dosin, quam alias solitus erat, in hac Matrona adhibuisse.

Imo ex historia morbi, ubi de Emplastris, eorum magnitudine, & modo inspergendi Mercurium subl. ut & de latitudine loci adfecti agitur, concludere licet, *ultra dimidium scrupulum Mercurii sublimati* in unoquoque Emplastro fuisse.

Dum enim Circulator Mercurium sublimatum non *ad pondus*, sed *ad fortuitam conjecturam*, adstante famula, e lagenula Emplastro adspersit, impossibile videtur, pondus illud accurate definiri posse:

Nam ita procedendo tam *integrum*, quam *dimidium scrupulum* Emplastro inspergere potuit, siquidem oculus, in dijudicanda re tam ponderosa, facile fallere potest, & sic errore ponderis casus insigniter mutatur.

Imo ex supra dictis colligendum videtur, ipsum Circulatorem veram & præcisam

quan-

quantitatem Mercurii ſubl. quam in Matrona noſtra adplicaverat, ſcire non poſſe, imo forſan ad hanc rem ne quidem cogitaſſe.

Cum enim in defenſione ſua verbali ad ſe purgandum attulerit, ſe nullibi legiſſe, tale cauſticum ejusmodi effectus ſalivationis funeſtos edere poſſe.

Et præterea non erubuit in ſupplice quodam libello publice coram Ampliſſ. Magiſtratu declarare, *Mercurium ſublimatum ſine metu & periculo externe poſſe adhiberi, nec, ut bonus ſequatur effectus, quantitatem juſtam determinandam, ſed eam artifici relinquendam* eſſe, ut ipſi liceat adhibere, quantum libeat.

Ex quo ſane luce meridiana clarius patet, iſtum in noſtro caſu *Mercurium ſublimatum in indeterminata quantitate & nulla ponderis habita ratione* adhibuiſſe.

Homini vero talia agenti vel profitenti nec ſinciput nec occiput ſanum eſſe videtur;

Hoc ipſo enim non ſolum indeterminatæ quantitatis adplicationem Mercurii ſubl. ſed etiam illatæ mortis ſe ipſum convictum eſſe tacite profitetur, cum Mercurium ſubl. in noſtra Matrona tanta copia adhibere non veritus fuerit, ut nec natura nec arte amplius ſuperari potuerit.

Jam vero felices illi dicendi ſunt, qui, dum

dum in ipſis mortiferum hoc virus adhibuit, truculento ejus auſu exſtincti non fuere.

Fati enim beneficio, non Empirici, illos evaſiſſe conſtat.

Namque dum cæcus & audax hic Empiricus omnino phyſicum & ſpecificum effectum ſui veneni ignoravit, inſcius adminiſtrandi illius, tantam ejus copiam adhibuit, quantam cæcus impetus ei ſuggerebat, non potuit non fieri, quin omnes adfectos ægrosque, apud quos illud in uſum vocavit, in ſummum vitæ diſcrimen adduceret.

Qui vero de tali eventu effectuque dubitaturus eſſet, is de efficacia hujus pharmaci certior evadere non poſſet, niſi facto in ejus clunibus periculo.

Suaſi etiam illis, qui talem effectum in dubium vocabant, ut rei periculum in ſe facerent; at hactenus nemo inventus eſt, qui periculum illud ſubire auſus eſſet; & ratio hujus ſubterfugii ſatis liquet.

Aptiſſimum autem ſubjectum ad inſtituendum ejusmodi experimentum ipſe Circulator eſſe videtur.

Dum enim nec rationi, nec experientiæ victas manus dare volebat, lethalemque ſalivationem, ſuo cauſtico excitatam, pertinaciter negabat, breviſſima hac via in corpore vili, tanquam in pœnam maleficii & temeritatis, ejus experimentum fieri potuiſſet.

Nec

Nec melius certiusve Circulatoris aut culpa aut innocentia innotesceret, quam si semet ipsum, experimento in suo corpore faciendo, etiamnum adhuc sisteret, & quidem tali modo, ut videre, & certi esse queamus, omnia sine fraude & dolo peracta fuisse.

At vehementer dubito, num se tali periculo subjicere velit?

Est vero *Mercurius sublimatus* productum chemicum acidissimum, quod omnibus Medicis notum est;

Compositum est e *Mercurio vivo* & *sale communi*;

Utrumque, nempe Mercurius vivus & sal commune per se & separatim nullam corrosionem excitant, & notabili quantitate intra corpus humanum adsumi possunt;

Sed si certa quantitate una mixta, & violentia ignis conjuncta atque sublimata fuerint, ex iis terribile fit *venenum*, quod omnium rerum venenatarum potentissimum, penetrantissimum, perniciosissimum, & funestissimum habetur, arsenico par, vel ut nonnulli credunt, violentius.

Estque tam vehemens *corrosivum & causticum*, ut in regno animali suo contactu, sive foris adplicetur, sive intra corpus sumatur, omnia corrodat, destruat, enecet, corrumpat, putrefaciat, ac instar *ignis urentis* ad ossa usque adurat, eique inhibendo nihil fere satis efficax sit.

Sunt

Sunt quidem, qui arbitrantur, *Mercurium sublimatum* corpori humano externe adhibitum, ubi in aliquo loco escharam fecerit, *in corpore reviviscere*, ita ut erodentem suam acrimoniam amittat, ipse vero denuo in Mercurium vivum abeat; ac proinde existimant, eum tunc facta eschara, & deposita in ea acrimonia, corpori non amplius, aut saltem non multum nocere posse.

At hæc ratiocinia mere puerilia sunt eorum, qui artis chemicæ expertes, processus chemicos ignorant; quos si nossent vidissentque, quanta vi ignis opus sit, ut spiritus salis & Mercurius intime uniantur, & eo Mercurius sublimatus præparetur, certe etiam facile intelligerent, tam facili modo, & tam leni calore, qualis in corpore humano obtinet, hoc compositum non dissolvi, nec in priores formas redigi posse.

Hoc si extra corpus humanum facere cui adlibuerit, illi non tantum additamentis opus erit, quæ in corpore nostro semper & tuto adhiberi nequeunt, verum etiam tanta vehementia ignis requiritur, quæ citius hominem exustura, quam Mercurium sublimatum suis salibus corrosivis liberatura, & in formam currentem redactura foret.

Ita ut *Mercurius sublimatus*, ubicunque etiam corpori nostro adplicatus vel adsumtus sit, nunquam se a suis particulis causticis li-

be-

berari ſinat, ſed *maneat Mercurius ſublimatus*, & quamdiu in corpore noſtro eſt, uti talis operetur.

Ejus vero *qualitates & effectus* phyſici ut & *pathemata* eum ſequentia, quando incaute & imperite, aut in notabili quadam quantitate, licet ſolum externe, adminiſtratus eſt, experientia teſte hæc ſunt:

Ut cryſtalli ſeu ſpicula ejus cauſtica, ſalina, tanquam totidem *cultelli*, effectu phyſico omnes corporis partes ſolidas earumque texturam & membranas, contactu ſuo non ſolum *vulnerent*, *diſcindant*, *corrodant*, & in *eſcharam* redigant, ut gangræneſcant;

Sed etiam non diu in eadem parte hæreant, verum ſemet ſtatim in *poros corporis* & *vaſorum ſanguiferorum extremitates* inſinuent, & foris introrſum penetrent, ſicque per *univerſam ſanguinis* & *humorum maſſam* tranſeant, totamque *corporis compagem diſſolvant*, *fundant*, *colliquent* ac *deſtruant*;

Donec tandem in *partibus glanduloſo-nervoſo-tuniceis* & ſpeciatim in *faucibus* & *ore* hærentia ibidem excitata *ſalivatione* exitum quærant atque inveniant.

Hoc enim omnis *Mercurius* & conſequenter etiam Mercurius ſubl. peculiare imo proprium & ſpecificum habet, ut præcipue *fauces* cum *larynge*, *linguam*, *palatum* &

*dentes* petat & adficiat, & in his *evacuationem ſalivatoriam* excitet.

In omnibus vero corporis partibus, quascunque Mercurius ſublimatus tranſit, *cauſtici effectus & ſequelas* relinquit.

Mox enim hinc inde *vaſis capillaribus* tenaciter adhæreſcit, ſicque *ſanguinis* in ſuis vaſis *ſtagnationes*, *coagulationes*, *corruptiones* & *putrefactiones* inducit.

Inprimis autem in trajectu ſuo *partes nervoſas* vehementer adgreditur, ut e corroſione illius non ſolum *intolerabiles dolores* excitentur, verum etiam *ſpaſmi* intenſi & *convulſiones* perfectæ inſequantur.

His comites adſunt *inteſtinorum* ac *viſcerum eroſiones*, *inflammationes*, *interni angores*, *ardores* graves, *cardialgiæ*, *nauſeæ*, *vomitus*, *ſuffocativæ faucium* & *colli inflationes* & *inflammationes*, *ulcera oris* & *laryngum* profunda, *dentium vacillatio* &c. &c.

Tandem hoc virus usque ad *membranas cerebri* & *oſſium* penetrat, atque etiam ibidem ingentes cruciatus, *vigilias* continuas, *mentis aberrationes*, *motuum defectus*, *virium proſtrationem*, aliaque mala concitat;

Cujusmodi ſymptomata, cum maxime periculoſa & ominoſa exiſtunt, tum etiam re ipſa in partibus læſis, eroſis, inflammatis & a Mercurio ſublimato obſeſſis actuales oriuntur *gangrænæ* & *ſphacelationes*;

Qui-

Quibus tandem ægri vita ſuccumbit, & quas phyſice *mortem* vocamus.

*Omnia* vero *hæc phænomena* ita *in noſtra Matrona*, quæ ante *Mercurii ſubl.* adplicationem optime valebat, *effectu & neceſſitate phyſica eveniſſe*, ipſa morbi hiſtoria clare oſtendit.

*Mercurius* enim *ſublimatus* in hac Matrona a Circumforaneo valde *enormi* & *indefinita quantitate* externe in femore adplicatus fuit:

Hoc facto ſtatim corpori adhæſit, & in duobus diverſis locis *partes corroſit*, *eroſit*, ac *magnum vulnus*, & præter hoc *eſcharam* cum *tumore* & *inflammatione* adeo ingenti excitavit, ut etiam tumor cum eſchara poſt ipſum ægræ deceſſum, atque adeo poſt intervallum tot dierum, referente Chirurgo, duorum pugnorum magnitudinem adhuc æquaverit:

Atque ita non tantum *intolerabiles cruciatus* concitavit, ſed etiam ulterius *in corpus & ſanguinis maſſam* penetravit, ac *genus nervoſum* adflixit, quo ingentes *ſpaſmi* & *convulſiones* univerſales oborti ſunt:

Sic progrediens in interiora, inprimis *in ſtomachum* & *fauces* ſe inſinuavit, ibique tot turbarum origo exſtitit, nempe *cardialgiæ*, *nauſeæ*, *vomitus*, *anguſtiarum* & *ardoris ſummi*, *tumoris* & *inflammationis in ore* & *faucibus*, *inflationis in capite* & *collo*, *difficultatis loquendi*, & *deglutiendi*, *vacillationis dentium*,

*tium*, *ſalivationis immodicæ ſalivæ* primo *limpidæ*, deinceps *cruentæ*, *hæmorrhagiæ faucium* & *oris* notabilis, *exulcerationis* & *ſeparationis in partibus ſolidis*, *denudationis in oſſibus* & *maxillis*, *lapſus dentium* ſpontanei, *oris* & *fecium alvinarum fœtoris* ſummi, &c.

Tandem Mercurius ſublimatus in ipſas *membranas cerebri* penetravit, ibique vim ſuam exſeruit, atque inſignes *capitis circa tempora dolores*, *vigilias continuas*, *abalienationes mentis* & *deliria* leviora intulit.

Hæc ſecuta eſt *ſumma virium* & *pulſus imminutio* & *ceſſatio*, *angores animi*, *ſudor frigidus*, utpote indicium *gangrænæ* & *ſphaceli* in partibus internis, quæ omnia poſtremo *mors* excepit.

Imo ipſum hoc venenum, poſtquam *ægram vita* jam *privaverat*, nondum graſſari ceſſabat, verum ulterius intus operari pergebat, quod *poſt* Matronæ *obitum* vel inde liquebat, dum *labia oris nigra*, *palpebræ rubræ* & *protuberantes* ceu *inflammatæ* evadebant, & deinde ſubſidebant; denique etiam *naſus* in extremitatibus ſuis poſt aliquot dies adhuc rubebat, tanquam ex inflammatione.

In his vero omnibus *Mercurii ſublimati* veſtigia quaſi de die in diem & quoties ab initio adplicationis usque ad finem tragœdiæ ſcenam mutaverit, adeo clare atque diſtin-

ἐte

ɕte ex ipſo effeɕtu phyſico legere poſſumus, ut non putem, quempiam rei peritum de veritate faɕti dubitaturum, vixque credo, notabilius certiusve hujus rei exemplum exſtare poſſe.

Inde etiam conjicere licet, quam miſere *corpus interne maceratum & exeſum* fuerit;

Nam quemadmodum e phænomenis conſpeximus, corpus externe quam miſerrime habitum fuiſſe, ita etiam dubio procul interne longe miſerius conſtitutum fuit; id quod clarius deprehendi potuiſſet, ſi ejusdem ſeɕtio conceſſa fuiſſet.

Si enim cogitamus, *Matronam* hanc per hoc venenum *in innumeras* & tanquam *minutiſſimas particulas diſſciſſam diſſeɕtamque eſſe*, & ipſam per totum ægritudinis tempus *ne momentum quidem ab intolerandis cruciatibus vacuum* habuiſſe, adfirmare auſim, me non credere, ullum unquam maleficum, qui per omnes corporis artus crurifragia paſſus eſt, tam terribiles, aut tam multos, ſuſtinuiſſe cruciatus atque dolores.

Cum jam luce meridiana clarius adpareat, quod adplicationem *Mercurii ſublimati* omnia illa ſymptomata preſſo pede inſecuta ſint, ex eo etiam jam a poſteriori decernere poſſumus, Mercurium tanta quantitate adplicatum, & ab exterioribus partibus ad interiora, & forte in ipſum usque cere-

 brum

brum adactum esse, ut humanæ artis non fuerit, ullo remedio aut ope ægram levare, aut e mortis periculo servare.

Non enim est in potestate ullius Medici, *Mercurium sublimatum*, semel intra corpus ingressum, & partibus solidis infixum, quocunque remedio, arti cognito, sive purgans illud sit, sive decoctum, sive quidquam aliud, satis corrigere & obtundere, & salivationem ab illo excitatam pro lubitu moderari ac mitigare, hocque modo Mercurium adeo commodo & facili modo e corpore expellere, ut ægri nullum periculum mortis incurrant.

Hoc arti non datur, ejusque rationes ex supra dictis abunde patent.

Unicum auxilium, unde aliqua spes secundum principia physico-chemica adparere videretur, forte petendum esset a remediis *alcalinis*, utpote quæ acido corrosivo directe opposita sunt; si nimirum *Mercurius sublimat.* iisdem alcalinis immediate contingi, atque ea simul ita sufficienter adplicari possent, ut ope illorum alcalinorum *Mercurii sublimat.* vis acida & corrosiva obtunderetur, enervaretur, saturaretur, & quasi mortificaretur, ut hoc verbo utar.

Verum talia remedia nullo pacto cum successu adhiberi possunt, nisi statim primis horis post adsumtum aut adplicatum in cor-

po-

pore *Mercurium ſublim.* illi opponantur, antequam in partes ſolidas & maſſam ſanguinis tranſeat, ibique ſedem figat.

Si vero id non a primis horis poſt adplicatum *Mercurium ſublim.* fiat, ſed tunc demum, cum jam firmiter tenaciterque in corpore hæret, fieri nequit, ut ad cöercendum *Mercurium ſublim.* tantum ex alcalinis remediis per circulum ſanguinis & humorum ad locum adfectum devehatur, quantum neceſſe eſt ad tollendum infringendumque ejus vim corroſivam, aut ad reddendum eundem innoxium.

Ita etiam in noſtro caſu ego eo demum tempore arceſſitus fui, quo *Mercurius ſublim.* ſe per totum corpus diffuderat, & jam partibus ſolidis infixus adhæſerat, in quibus non alium, niſi lente progredientem & invaleſcentem effectum lethalem exſerere poterat.

Et licet jam aliquot dies citius, cum nimirum Mercurius ſubl. in corpore efficaciam ſuam exſerere jam inciperet, vocatus fuisſem, tamen non opinor, in artis poteſtate fuiſſe, *Mercurium* e partibus corporis ſolidis & latifundio humorum eliminare, poſtquam ſeſe penitius in interiora corporis & maſſam ſanguinis jamjam inſinuaverat.

Hoc ſtatim, ægra explorata, quibusvis declaravi, qui e prognoſtico meo ſcire cupiebant, quem exitum res eſſet habitura?

Nempe ipſam in magno verſari periculo, inprimis cum neſcirem, qua proprie quantitate *Mercurius ſublim.* adhibitus ſit, nam quantitati hujus Mercurii *eventum* & *effectus* morbi reſponſuros:

Niſi enim nimia quantitate adplicatus fuerit ita, ut natura adhuc auxilii capax, eum e corpore expellere, atque illatas læſiones recuperare valeat, ſpem aliquam reſtitutionis ſupereſſe;

At ſi in quantitate modus ſervatus non ſit, eum non ita e corpore expelli poſſe, quin potius nimis profunde in viſcera, & partes ſolidas deſcendere, eaque deſtruere debeat;

Ideoque Naturam tot damna illata reparare non poſſe, & conſequenter nimiam veneni hujus quantitatem exitium neceſſario inferre.

Exſtant etiam hujus rei paſſim apud Scriptores multæ obſervationes, quæ non ſolum virulentiam & efficaciam *Mercurii ſublim.* lethalem abunde teſtantur;

Sed & ubi a Mercurio, quocunque fere modo præparato, aut etiam quacunque ſub methodo, incongrue & copioſe nimis adplicato, ſalivatio lethalis inſecuta fuerit;

Eaque ſingula multis conſentientibus Scriptoribus & exemplis firmari & adſtrui poſſent, ſi neceſſitas exigeret.

Iis autem ad nimiam prolixitatem evitan-

dam

dam superſedens, caſum noſtrum prudentibus & integritatis atque doctrinæ fama claris Viris, & integro Collegio Medico examinandum & dijudicandum propoſui;

Non quidem eam ob cauſam, ac ſi Ampliſſ. Magiſtratus ac Proceres noſtri de homicidio ab Circulatore admiſſo, dubitaverint, atque controverſia nata fuiſſet, quæ Reſponſo & Judicio Facultatis alicujus Medicæ decidenda fuiſſet; minime gentium! totum factum vix dubitationi obnoxium erat;

Verum animi cauſa privatoque conſilio doctiſſimorum Virorum ingenii lanci caſum hunc adpenſum volui, ut illi, quibus rei ordo latet, & hinc de uno vel altero, quod ab aliis fando acceperunt, judicium ferre nequeunt, videant, quid ſentire debeant.

Dantur enim non raro invidi & malevoli, qui plus adfectibus, quam veritate, ducibus utuntur, quique, cui invident, ei etiam male cupiunt;

Talium immodeſtiæ repagulum objiciendum, oſtendendumque eſt, fas verumque nunquam lucem ſubterfugere.

Impulit me & alia ratio: palam eſt Chirurgos, licet vires medicamentorum parum aut non calleant, tamen maxime pronos eſſe in tam ſuſpecta & vehementia remedia.

Ut ergo & his, & quibusvis aliis ex hoc

tristi eventu periculosus illorum medicaminum usus innotescat, de eorum effectu luctuosum hoc specimen producendum esse duxi, quo discant, tutius esse ut *tam periculosa remedia*, ob noxas & pericula prope continuo inde timenda *e foro Medico & Chirurgico prorsus proscribantur*, quam ægri in tanta discrimina præcipites fiant.

Haud unquam enim bono animo in ejus usu esse possumus; & ingenue fateor, me in tota mea praxi, licet satis ampla, ne unico quidem ejus grano, sive externe, sive interne, unquam usum fuisse.

Gravissimum & capitale periculum est; luditur de corio humano, occiditur homo, non moritur. Vulgo enim *occidisse dicitur, qui mortis præbuit causam*: Et *homicidii crimen est, hominis peccare salute.*

En vero *morbi historiam*, seu ipsum *factum Medicastri*, in actu illicito deprehensi, quo *Auctor mortis*, huic Matronæ illatæ, coarguitur; & *suffragante Illustri Facultate Medica Halensi* convincitur.

HISTO-

# HISTORIA

## *MORBI.*



Atrona Nobilis AGNITA ELISABETH DE BALVEREN, ex Nobili Familia DE HEUCKELOM, circiter XLVII. annos nata, optima utens valetudine, querebatur, ſe ante X. circiter annos in janua carpenti ſui humerum & femur dextrum contudiſſe, & ex eo tempore dolorem aliquem in regione muſculorum, femur moventium, ſenſiſſe, quo impediretur, ne in eodem latere dormire poſſet, & ſe ſucceſſu temporis duritiem ibi percepiſſe, quæ vix duos digitos latitudine, unumque longitudine ſuperavit; in inferiore parte aliquantum acuminata, non admodum dura, at extrinſecus nihil adparebat, tantummodo dolebat, ſi eidem incumbebat. Diverſos Medicos conſuluerat, multaque medicamenta adhibuerat, ſed fruſtra.

Tandem adfectum hunc Circumforaneo Chirurgo, nomine J. H. FRANCKEN, qui huc venerat, per famulam propoſuit, ac ſi illo adfectu ipſius famulæ matertera laboraret, quæ *Ottmarſiæ* habitaret; famula interrogabat, num huic adfectui mederi poſſet?

ſet? id quod artifex ſtatim adfirmabat, ſe pollere; hinc famula porro ab eo petebat, ut ſibi remedia dare vellet, materteræ ſuæ transmittenda. Quo facto ei exhibebat *Emplaſtrum cauſticum*, chartæ involutum, magdaleonem emplaſtri digeſtivi, capſulam aliquot pilulis inſtructam, lagenulam ita dicti cardiaci, & inſuper alias quatuor lagenulas, addito præcepto; ut *Emplaſtrum cauſticum* loco dolenti adplicaret. Et ſi hoc effectum ſuum abſolviſſet, tunc removeret, & de magdaleone emplaſtri digeſtivi alia emplaſtra faceret, hæcque adfecto loco quotidie imponeret; ſic emplaſtro hoc digeſtivo conſumto ipſam plane ſanatum iri. Et ideo tantum emplaſtri digeſtivi ſuppeditabat, quo, dum ægra extra Neomagum habitaret, ipſi ſufficeret, ad plenam perſanationem intra ſeptem hebdomadas abſolvendam: de pilulis quotidie tres deglutiret veſperi, de cardiaco omni mane dimidium digitalis in potu Coffée ſumeret, & de quatuor reliquis lagenulis quamlibet miſceret cum quatuor cochlearibus vini aduſti; hac mixtura calefacta ſingulis diebus veſpere lumbos & coxas lineret, ſed ne locum adfectum tangeret.

*Emplaſtrum* ergo *cauſticum* die Saturni, qui erat *IV. Maji* 1737. veſperi hora decima adplicabatur; ſed Emplaſtrum, quod per no-

noctem recesserat, rodebat magnum vulnus infra locum adfectum.

Ægra de hoc eventu sollicita, famula die Solis *V. Maji* sub vesperam ad Circumforaneum adiit, dicens materteram suam hic adesse, & se ipsi hesterno vespere Emplastrum imposuisse, sed id a loco recessisse, interrogans, num hoc noxam adferre posset? Circulator negabat, dicens contra, bonum esse. Et tradebat illi *alterum Emplastrum causticum*, apertum in manu, præcipiens, ut illud circumspecte ferret, & loco adfecto accurate adplicaret.

Hoc *alterum Emplastrum causticum* famula, ne noctu denuo a loco recederet, mane die Lunæ *VI. Maji* adplicuit, eoque vespere remoto, emplastrum de magdaleone adhibuit.

Quo facto ægra die Martis, *VII. Maji*, in femore tantum dolorem sensit, ut juberet famulam redire ad Circulatorem, eique hoc indicare; Iste suspicans, ægram in urbe habitare, petebat, ut sibi liceret, ipsam invisere, quia in obscuro non posset rem tractare.

Postquam famula redux hoc Dominæ retulerat, ipsa Circulatori aditum conveniendi dabat, qui eadem vespera hora decima adveniens, inspecto loco adfecto, mensæ imponebat Emplastrum, huicque *pulverem al-*

*album* e lagenula vitrea adſpergebat, & ſic ipſe *tertium Emplaſtrum cauſticum* femori adplicabat, injungens, ut hoc non ante horam quartam matutinam, die Mercurii, *VIII. Maji*, removerent; commendans, ut multum Coffeti ægra biberet, nec in lectum ſe componeret; ſubridens addebat, ipſam a ſomno non oppreſſum iri.

Foras abiens famulæ ajebat, Dominam quingentis florenis non redimere poſſe utilitatem orituram, quod ipſe inſpexerit malum, adeſſe *Cancrum;* Matrona hoc deinde audiens Circulatori dicebat, Cancrum adeſſe non poſſe, nec Medicos pro Cancro habuiſſe: ad hæc Circulator regerebat; Medicos rem non noſſe nec intelligere, ſeſe ipſam ſanaturum.

Modo eſchara ſeparata fuerit, Dominam poſſe curru vehi, inviſentes excipere, omniaque agere, adfectum illi nulla in re impedimento futurum, eamque illo magdaleone emplaſtri vulnus claudere poſſe.

Interea *adhibito* ultimo ſeu *tertio Emplaſtro cauſtico* Matrona non tantum adeo intolerabili dolore excruciabatur, ut tanquam alienata mente per conclave diſcurreret, & alta voce exclamaret, ſed etiam per totum diem Mercurii, *VIII. Maji* usque ad veſperam *ſpaſmis & convulſionibus univerſalibus* ad ipſas pedum & manuum extremita-

tates uſque, viſu horrendis, invaderetur.

Die Jovis *IX. Maji* fiebat *vomibunda*, imo *actuales vomitus* ſequebantur.

Die Veneris & Saturni, *X. & XI. Maji fauces valde intumebant*;

Hæc omnia Matrona Circulatori, illam inviſenti, exponebat, & ipſe rem ita ſe habere videbat, ſed regerebat Dominæ, nihil mali portendere, tantummodo vehementer illi commendabat, ne omnino admitteret Medicum, & diſcedens famulæ injungebat, ut ipſum moneret, ſi dentes inciperent vacillare; Interea fauces adeo intumeſcebant, ut noctu inter *XI. & XII. Maji* ægra crederet, ſe ſuffocatum iri.

Die Solis *XII. Maji* ego ante meridiem advocor, omnium, quæ a Circulatore acta eſſent, & ſupra relata ſunt, in eum diem ignarus. Vidi externe *caput* & *collum* valde *tumens*, *linguam rigentem* & *tumeſcentem*, *faucesque* ſic *inflammatas*, ut ægra ſumma *cum difficultate loqueretur*, vel *deglutiret*: *dentes vacillabant*, & *oris fœtor* idem erat, qui ſolet eſſe in iis, qui Mercurialibus uſi ſunt. Rem miratus interrogabam Matronam, an aliquo medicamento uſa eſſet? Ad quæ poſt multas ambages, & poſtquam ipſi rotunde declaraveram, ipſi venenum datum eſſe, tandem fatebatur, ſe ſex pilulas, ſingulo veſpere tres a Circulatore ſumſiſſe,

ſed

ſed ſimul artificem excuſans, hæc phænomena inde oriri non poſſe, quia famula una vice novem de iſtis pilulis ſine ullo damno deglutiviſſet.

Cum ulterius inſtarem, Matrona tandem adplicationem *Emplaſtri cauſtici* confitebatur. Inſpecto loco adfecto inveniebam in muſculo femoris moventium primo *Eſcharam* integra manu latam, & ad contactum duorum pugnorum craſſitiem æquantem, & infra eſcharam aliud *vulnus* apertum eadem latitudine, & circa locum adfectum *ingentem* cum *intumeſcentia inflammationem.*

Cum jam neſcirem, quo cauſtico illa eſchara inducta fuerit, & mihi hac vice tantum pauca quædam, ſed non tota ſcena cum illo Circulatore relata eſſet, ſuſpicabar, illa ſalivationis ſymptomata excitata eſſe ab illis pilulis, quas putabam Mercuriales fuiſſe. Hinc ipſi præſcripſi *purgans* ex *reſinæ Jalappæ* granis XII. in Spiritus vini drachmis duabus cum ſemiſſe ſolutæ, quod etiam V. vel VI. ſedes procurabat, ſine ullo levamine. Et quia Matrona difficillime deglutiebat, porro interne nihil aliud proponere poteram, quam *Eſſentiæ pimpinellæ albæ* unciam unam cum dimidia, ex qua ſingulis trihoriis vel quadrihoriis XL. vel L. guttas, cum *Syrupo violarum* mixtas, guttatim hauriret; inſuper injungebam, ut os & fauces aſſidue

gar-

gargarizaret *lacte dulci* tepefacto solo, vel cum *ficubus* cocto, conjuncto regimine leni diaphoretico; salivam quantum posset projiceret; quoad diætam *juscula carnium gelatinosa*, *pinguia*, *gelatinam Cornu cervi*, *lacticinia*, *hordeum tenuiter coctum* &c.

Interea Circulator hoc meredie me adiit, ad constituendum diem pro operatione herniæ, qua occasione istum interrogabam, quid in Matrona adhibuisset? adfirmabat in pilulis suis nullum fuisse Mercurium; sed *Emplastrum* Matronæ adplicatum factum esse ex *Mercurio sublimato corrosivo*, adfectumque Matronæ, pro sua sententia, esse *Cancrum*, qui *hoc caustico*, tanquam supremo remedio, esset curandus, addens fieri non posse, ut symptomata, quæ ipsi commemorabam in Matrona adesse, a *caustico hoc suo* excitentur, cum idem sæpius & in aliis adplicuisset, nec unquam tale quid inde expertus esset, cum causticum hoc *NB. circiter dimidio scrupulo Mercurii sublimati* constet.

Sed ego ipsi non solum possibilitatem rei exemplis, ex aliis Scriptoribus petitis, sed & sequelas in Matrona rem confirmare, ostendebam. Ad quæ nihil reponere habebat, quam quod dicebat: *ipsa me decepit*, *& ego ipsam decepi*, atque adeo *alter alterum decepit*.

Interea die Lunæ, *XIII. Maji* intumescentia faucium, omniaque ſupra dicta ſymptomata continuabant, ut propemodum nihil liquidi ægra abſorbere valeret: adhæc conquerebatur, ſe tantum *ardorem in ore* & *faucibus* ſentire, ac ſi *candentes prunæ* illis ineſſent; in uſu medicamentorum uti priore die pergebatur.

Die Martis, qui erat *XIV. Maji* miſerrime laborabat, integra *fruſta cruoris* ejiciebat, *membranas palati digitis* extrahens, & multum *ſanguinis liquidi* rejiciens, ut vererer, ne hæmorrhagia eo ipſo die interiret. Tunc præſcribebam *gargariſma* ex *rad. alth.* uncia una, *herb. malv. beton. hysſop.* ana manipulo uno *flor. roſar. rubr. manipulo ſemiſ. ſem. fœn. græc.* drachmis duabus, cum aqua coquendum & *melle* edulcorandum, ut hoc *lacti dulci* interponeretur, eoque os elueretur.

Eadem die etiam ad Matronam hanc pharmacopola Domin. *van Sichem*, me inſcio, arceſſitus rogabatur, ut fauces inſpiceret. Hic *palatum*, *fauces* ac *linguam* adeo *tumeſcentes* & *inflammatas* videbat, ut ægra ægre loqui poſſet; in ipſis *faucibus* detegebat *ulcus apertum* magnitudine piſi majoris, & ad latus ſiniſtrum *palati actualem partium ſolidarum ſeparationem*, *dentes vacillantes* & *largam ſalivationem.*

Die

Die Mercurii XV. Maji omnia in tristi hoc statu manebant, salivatio semper procedebat, *alvo sæpius deposita. Excrementa* eundem fœtorem exhalabant ac fauces; quam ob causam præscribebam *Tincturæ Rhei* cum aqua cichorei & sale Tartari præparatæ uncias duas cum dimidia, pro dosi cochleare dimidium semel vel bis de die; reiterato usu *Essentiæ pimp. albæ*, quæ non nisi cum *Syrupo violarum mixta* adhiberi poterat.

Die Jovis, *XVI. Maji collum* exterius non adeo tumidum videbatur, at *facies* & *genæ* eundem tumorem & duritiem retinebant. Iterabatur *gargarisma.*

Die Veneris *XVII. Maji* & die Saturni *XVIII. Maji* eædem erant miseriæ Per omne hoc tempus de *cardialgia* & *conatibus vomendi* querebatur, iisdemque *faucium doloribus* ac *vigiliis continuis*, *salivam sanguinolentam* projiciebat semper. His jam accedebant *magni dolores capitis*, inprimis circa *tempora*; iterabantur *Ess. pimp. alb. Tinct. rhei* & *gargarisma.*

Die Solis X*IX. Maji* superveniebat *delirium leve*, & ægra de eo valde conquerebatur, dicens, *se insanire, & nescire quid ageret. Essentia pimp. alb.* & *gargarisma* continuabantur.

Die Lunæ *XX. Maji* eadem continuabant,

bant, inſuper majore delirio vexata vix amplius regi aut adminiſtrari poterat, omnem fere medicinam & victum reſpuens, dicensque, ſe *nimiis doloribus* excruciari, nec quidquam adſumere poſſe. Hoc die præter *Eſſent. pimp. alb.* etiam in uſum vocavi *Elect. diaſcord.* ſcrupulum unum veſperi ſumendum.

Die Martis *XXI. Maji* omnia in deterius abibant; adhuc quotidie multa *fruſta cruoris* & *membranæ* ex ore exibant, & ſenſim ſenſimque ægra ita *debilitabatur*, ut jam non amplius e lecto ſurgere poſſet, ſalivatio adhuc pergebat; Præſcripſi *Tincturæ myrrhæ* unciam unam *gargariſmati* addendam.

Die Mercurii *XXII. Maji* malo aucto *Eſſentiæ pimpinellæ alb.* unciæ uni & dimidiæ addidi *Tincturæ antimonii alcal.* drachmas tres, ſed ægra vix quidquam amplius adſumere poterat: gargariſmati denuo unciam unam *Tincturæ myrrhæ* admiſcui.

Die Jovis *XXIII. Maji* nulla in melius mutatio. Per Chirurgum præter gargariſma, cum Tinctura myrrhæ mixtum, adhiberi curavi *mellis roſarum* uncias duas cum *Tincturæ myrrhæ* uncia ſemis pro elutione oris; nam ipſa id facere dehinc non poterat. Præſcripſi quoque *Tincturæ antimonii* drachmas ſex, 30. guttas pro doſi,

ut

ut cum Syrupo violarum propinentur.

Die Veneris *XXIV. Maji tumor in gena* dextra aliquanto minor erat, ſed in ſiniſtra nihil ſubſederat, remanente eadem duritie. Nocte inter *XXIV.* & *XXV. Maji* ſponte *dens* excidebat.

Eodem *XXV. Maji ſalivatio* quidem adhuc procedebat, ſed ſenſim minuebatur, & ægra debilior facta magis *delirabat*. Eadem *Tinctura antimonii* cum *Syr. violar.* iterabatur.

Die Solis *XXVI. Maji* mane *pulſus deficiebat, minuente ſalivatione, dormitare* nonnihil videbatur, cum antea per totum tempus omnis ſomnus abfuiſſet, ſed & *ſubito pavore* excitabatur, non amplius *de doloribus* conquerens. Ex quibus omnibus colligebam, mortem inſtare.

Eodem tempore ab aliis alia proponebantur, ſed uti ægra per totum ſtatum medicamenta tantum *guttatim* & *cum difficultate* ſumere potis erat, ſic jam ne guttam quidem amplius adſumere poterat. Et hæc erat hujus diei conditio.

Die Lunæ *XXVII. Maji pulſu plane ceſſante* de *ſummis anxietatibus* jam cum morte colluctans querebatur. Noctu ejulatus & *clamores* ægræ totam domum perſonabant.

Die Martis *XXVIII. Maji* hora quinta

matutina jam mente alienata *membra maxime torquens* & *agonizans* hora ſeptima exſpiravit.

Per totum morbi decurſum nulla aderat *febris*; *urina* naturali ſimilis album deponebat ſedimentum. Præterea conclave *fœtore* vix ferendo plenum erat, & *miſeriæ*, quas ægra perpeſſa eſt, neque animo concipi, neque verbis deſcribi poſſunt. Porro notandum eſt, ægram ab initio, quo ad eam vocatus eram, usque ad finem, non tantum *liquidi nutrientis* vel *medicamentorum* una vice capere potuiſſe, quantum parva ſcutella porcellana continet, querentem, ſe præ faucium dolore, ardore & tumore haurire nihil poſſe. Sed quia ſemper nauſeabunda & ad animi deliquia prona erat, roganti permittebam interdum cochleare unum vel alterum *vini Gallici* vel *Rhenani*, quo ſolo aliquantum recreabatur.

Chirurgus, nomine *J. Z. Vos*, cujus opera die XIX. Maji uti incepimus, loco Circulatoris, quem ægra videre non amplius volebat, ut vulnus in femore unguento & emplaſtro digeſtivo tractaret, & poſtea os faucesque repurgaret, declarabat, non ſolum *genas*, *gingivas*, *palatum*, *fauces* &c. *exulceratas*, ſed etiam *oſſa*, inprimis *maxillas*, *infecta* & *denudata* fuiſſe.

*Separatio eſcharæ* in femore, decreſcente

te inflammatione paulatim ſuccedebat, ſed die mortis adhuc multum reſtabat.

Vir honeſtiſſimus *van Selem*, qui conſolandi ægros munere fungitur, adfirmabat, ægram die Martis *XXVIII. Maji*, hora matutina ſecunda manus tam vehementer torſiſſe, ut putaret, eam digitos fracturam: tunc manus ægræ tangens, easdem ſudore frigido madentes deprehendit, ac manum ſuam per tactum fœtore ægrotantis imbutam eſſe: ſed adhuc dubitans removebat manum, paulo autem poſt eam naſo iterum admovens, hocque vel ſexies repetens, ſemper eundem odorem olfecit; quem cum abſtergere non poſſet, cogebatur manum aqua abluere; inſuper referebat, noctem illam ægræ & ſibi adeo luctuoſam fuiſſe, ut verbis exprimere non poſſet:

Poſt obitum die Mercurii *XXIX. Maji* totum caſum Ampliſſimis Magiſtratibus ratione officii expoſui.

Sectionem quidem & inſpectionem cadaveris judicialem optaſſem, ſed cum Nobiliſſ. agnati ab ea abhorrerent, inſtituta non eſt; nec ad rem abſolute neceſſaria erat, cum ipſa per ſe ſatis pateret.

Matronæ famula declarabat, cadaver ſtatim initio totum album evaſiſſe, ſed paulatim in plumbeum colorem mutatum eſſe.

Cum ego illud die Saturni, qui erat *pri-*

*mus Junii* viderem, inveniebam labia oris atra & palpebras rubras ac protuberantes, ceu inflammatas.

Die Martis IV. Junii nigredo labiorum paulo minor erat, ad rubedinem vergens, ſed palpebræ ita ſubſederant, ut pollex in cavitatem immitti poſſet. Naſus etiam in extremitatibus rubebat, ut inflammatus.

Tria illa *Emplaſtra cauſtica*, quæ mihi famula tradidit, in diametro quatuor circiter pollices lata ſunt, nimirum quodlibet eorum, & adhuc videre eſt, illa undique *Mercurio ſublimato* conſperſa fuiſſe, nam etiamnum ab omni parte albent a reſiduo *Mercurii*, etiam vulnus & eſchara femoris eadem, imo majori erant magnitudine, quam Emplaſtra.

Cum jam Circulator ille ob malum eventum ſui auſi publicam cenſuram incurreret, qua, prout ipſe ait, tanquam maleficus non ſine ignominia urbe noſtra pulſus eſt, factum ſuum jam excuſare, & cauſam ac ſequelas mali ſucceſſus in me transferre conatur, ac ſi ille ipſiſſimus auctor violentæ hujus mortis non fuiſſet, ſed potius ego!

In Apologia autem ſua ad Ampliſſimos Magiſtratus innocentiam ſuam tueri vult argumentis ſequentibus, in ordinem diſpoſitis.

I. Mercurium ſublimatum corroſivum non cuilibet notum, ſed adhuc pro ſingulari arcano adverſus tumores ſcirrhoſos aliaque mala habendum eſſe.

II. Illum ſine metu & periculo externe poſſe adhiberi, nec quantitatem illius determinandam, ſed artifici relinquendum eſſe, quantum, pro re nata, neceſſum ducat.

III. Emplaſtrum ſuum ſemper adpellat *cauſticum* conſtans e Mercurio ſublimato, nunquam tamen indicat, quo pondere eum adhibuerit.

IV. Mercurium ſublimatum per ſua Emplaſtra adhibitum ſalivationem excitare non poſſe.

V. Ad excitandam ſalivationem vel decuplo plus Mercurii ſublimati opus eſſe, quam ipſe in Matrona adhibuiſſet, nec ſalivationem poſſe induci ſemel aut bis adplicato tali Emplaſtro aut uni parti corporis illito, ſed omnes artus per omnes articulos, aliquot diebus continuis illinendos, & hoc pacto ſalivationem procurandam eſſe.

VI. Licet Mercurius ſublimatus ſalivationem caſu fortuito excitet, eam tamen minime lethalem, ſed nota & facili methodo ſanabilem eſſe.

VII. Ægræ noſtræ præſcibendum fuiſſe

purgans & decoctum conveniens, ad promovendam ſalivationem, tunc ea ſalivatione, per *ſuum cauſticum* excitata, Matronam eo ſaniorem potuiſſe evadere.

VIII. Hinc licet forte ſalivatio in Matrona inſecuta ſit, *Emplaſtra* ſua *cauſtica* e Mercurio ſublimato nec exſtitiſſe, nec exſiſtere poſſe cauſam mortis Domin. *de Balveren*, nec ſe auctorem interitus ejus dici poſſe, ſed potius me, utpote Domin. Medicum, quod aut methodum medendi ignoraverim, aut Matronam hanc malo animo ſciens volensque neglexerim, ut ipſe urbe ejiceretur.

IX. Se, ſi ullus in urbe Medicus adfirmare poſſet, quod talis ſalivatio a Mercurio ſublimato excitata, dirigente perito Medico, periculoſa vel lethifera ſit, meritam pœnam ſubire paratum eſſe.

Ne referam plura per naſutulum hunc Circulatorem admiſſa pertinacis inſcitiæ ſphalmata, quæ recenſuiſſe idem eſſet ac refutaſſe.

Ut tamen veritas rei, laudatorum Virorum ſententia roborata, hoc clarius & evidentius conſtet, ſequentes quæſtiones ex arte & peritia decidendæ illuſtri Ordini Medico Halenſi propoſitæ ſunt, cujus Reſponſum reliquæ paginæ dabunt.

Qu?

Qu? I. *Num Mercurius ſublimatus corroſivus pro ſingulari remedio & arcano habendus ſit, quod adverſus varios tumores ſcirrhoſos, cancrum, aliaque mala tuto & ſecure adhiberi poſſit?*

Qu? II. *An Circulator adplicando hoc Emplaſtrum corroſivum, recte egerit, & an non potius triſtium illorum ſymptomatum & mortis auctor fuerit in Matrona, quæ ante illius adplicationem optime valebat?*

Qu? III. *An Medicus eo demum tempore in auxilium vocatus, quo calamitoſa ſymptomata medicamentorum deglutitionem fere omnem excludebant, lethalem eventum prohibere potuerit, præcipue ſi, ſuadente Empirico, ſalivationem adhuc magis promoviſſet?*

# RESPONSUM

## *Facultatis Medicæ Halensis.*



*N causa & statu controversiæ periti cujusdam, docti & legitime promoti ac probati Medici Practici, contra indoctum ac audacem quempiam Operatorem atque Empiricum certa quædam relatio casus alicujus, fatali decursu terminati, Facultati nostræ ad cognitionem, indagationem & dijudicationem oblata fuit, cui petito ut fiat satis, ab Ordine nostro deliberatio de eo instituta cognitam reddidit Nobilem quandam Matronam, optime valentem, quadraginta septem annorum, quæ ante decennium aliqualem contusionem dextri humeri æque ac femoris perpessa, & temporis successu duritiem absconditam in eodem femore, tactui solum obviam, erat experta, quæ vix duos digitos latitudine unumque longitudine, quadantenus acuminatam, superavit, interea autem molestis doloribus perennem præbuit causam. Posteaquam hæc adflictio ad prædictum Circumforaneum* Frankium *delata fuit, hic promtam promisit medelam, eaque propter confestim causticum quoddam Emplastrum tradidit, additis digestivi emplastri magdaleone, nonnullis pilulis, variisque lagenulis incogniti me-*

*medicaminis, annexa informatione, ut causticum Emplastrum dolenti imponeretur loco, cui, si effectum ediderit suum, substituendum esse indicavit digestivum, & ita etiam reliquorum ordinatorum remediorum usum disposuit. Adplicato itaque caustico Emplastro, contigit, ut eodem loco quem attigit, magnum excitaverit vulnus, id quod IV. a. c. Maji die accidit; ast quoniam eadem nocte Emplastrum a loco recessit, exquisito novo consilio, idem Empericus alterum causticum Emplastrum, provida manu gestandum, eidem loco iterato imponendum præcepit, quod sexto Maji mane adplicatum, vesperi autem remotum, subinde vero digestivum adpositum fuerat, inde autem evenit, ut VII. Maji in femore magnus obortus fuerit dolor, cui mitigando accersitus Empiricus hora vespertina decima Emplastrum cum pulvere albo è vitrea lagenula asperso adposuit, quod itaque intra triduum, a nocturna decima 4. Maji hora, ad decimam 7. ejusd. horam, tertia vice adplicatum fuit; abhinc audax & imperitus hic Circulator Cancri præsentiam in ægra indicabat, insuper autem pro more hujus furfuris hominum omnia fausta promittebat, liberumque vivendi genus permittebat: interea autem dolor adeo increbuit ac accrevit in adfecto loco, ut ægra quasi mente capta adparuerit, subinde is autem in manuum pedumque*

*ex-*

*extremitatibus ſpaſmorum & convulſionum comitatu exacerbatus fuit; Supervenerant vomitus, ſduciumque tumor, id quod Circumforaneus haud metuit, modo aliorum Medicorum convocationem & conſilia prohibuit: ſubinde fauces ad ſtrangulationis metum intumuere: XII. Maji accerſitus prior peritus Doctor, anteactorum plane ignarus, obſervavit caput & collum tumidum, linguam tenſam turgidamque, fauces inflammatas, cum loquelæ & deglutitionis difficultate: acceſſit dentium vacillatio orisque fætor; ægra inſuper confitebatur, ſe hactenus quolibet veſpertino tempore ſex pilulas adſumſiſſe: in femore adparuit eſchara ad manus latitudinem & duorum pugnorum craſſitiem accedens, infra ſe vulnus detinens, in ambitu autem ingentem tumorem inflammatorium comprehendens. Data occaſione teſtabatur Operator pilulis nihilum de mercurio, aſt Emplaſtro ſublimatum inextitiſſe, quocum tanquam ſupremo, uti opinabatur, remedio, Cancrum femoralem, quem ſuſpicabatur, extinguere arbitratus fuit: male autem inter alia, dum pernicioſi ejusdem effectus annotati erant, pro excuſatione edixit, ipſa me decepit, & ego ipſam decepi, atque adeo alter alterum decepit. Ab hoc tempore fruſtra ordinatis minusque ſalutari effectu operoſis aliis auxiliis ita atrox redditus fuit idem adfectus, ut præter*

*re-*

*refractariam ſalivationem, horrenda faucium ſymptomata, inflammatoria, ulceroſa aliaque ſupervenerint, uſque demum 28. Maji ægra hæc miſeranda expiraverit morte. Hic tragicus caſus cauſam ſubminiſtravit ſequentibus, ad rationis & artis fundamentum decidendis quæſtionibus.*

I. Num Mercurius ſublimatus corroſivus pro ſingulari remedio & arcano habendus ſit, quod adverſus tumores ſcirrhoſos, cancrum & alia mala ſecure adhiberi poſſit?

*Hanc Quæſtionem quoad ſingula ſua membra negativa decidimus ſententia. Etenim hoc ſubjectum chymicum non niſi ſcientia, experientia & conſcientia privatis temerariis medicaſtris hodierni ævi arcanum audit remedium, dum multis caſibus confirmari poteſt, quanta damna topicus etiam uſus illius unquam intulerit, & quam frivolo auſu in levibus & arduis caſibus eo confugiant audaces Empirici; Quemadmodum famoſæ aquæ phagædenicæ nondum hucusque peritis ac circumſpectis Medicis ſeſe probarunt; & ita etiam vix ullus imperitorum ac ſcatophagorum unguentariorum invenietur, cui non hoc medium cognitum fuerit, ideo fraudulentam omnino olet jactantiam, id pro arcano quo-*

*dam*

*dam declamare velle, licet illud ſingulare exitioſum exiſtat: qua de cauſa crumenimulgi non niſi ad deſperatos adfectus ſcabioſos, ulceroſos, gangrænam &c. illud ordinare non verentur: Præterea autem id ipſum in ſcirrhis, Cancro aliisque malis infeliciſſimum & ſtygiale, minime omnium vero ſecurum eſt remedium, ita ut omnium rariſſime unquam fidam, regularem & ſalutarem obtulerit opem. Conſtant hujus judicii multa teſtimonia ſcriptis ac ore fide digna, & vix ullus aſſiduorum, judicioſorum & attentorum Medicorum erit, cui non tragici effectus ſublimati hujus, extrinſecus licet uſurpati, conſtent. Conf. Wolfii Obſ. Chirurg. Lib.* 2. *Obſerv.* 1. *p.* 179. *ſeq. Act. N. C. Dec.* 3. *an.* 5. *Obſ.* 204. *Bonetus Polyalth. lib. V. c.* 35. *p.* 561. *Commerc. litterar. An.* 1732. *hebd.* 31. *p.* 245. *ſeq.*

II. An Circulator adplicando Emplaſtrum hoc corroſivum recte egerit, aut an non potius triſtium illorum ſymptomatum & mortis auctor fuerit in Matrona, quæ ante illius adplicationem optime valebat?

*Ad hanc interrogationem reponimus deciſionem adfirmativam, quod videlicet imperita, audax & terna vice continuata Mercurii ſublimati adplicatio in hac, antea compa-*

*parata ſana, Matrona, periculoſa præcipue pathemata in femore, dein etiam ſubitaneam ac impetuoſam congeſtionem inflammatoriam cum conſequente turbulenta ſalivatione concitaverit : Haud quidem in relatione hiſtorica, tragici hujus caſus, aliæ, ſcitu dignæ, ejusdem generoſæ mulieris qualitates commemoratæ ſunt, qua videlicet corporis conſtitutione ipſa prædita, an plethorica, temperatis aut intemperatis humoribus inſtructa, cui diætæ, vitæ generi, quibus moribus animique adfectibus dedita fuerit, quo ordine quotidianæ & reliquæ evacuationes in eadem proceſſerint * &c. Nibilo tamen ſecius ſeries at-*

---

** Cum hic non fuerit caſus morbi & mortis naturalis, ſed violentæ & artificialis, omiſi circumſtantias ſcitu neceſſarias, quæ in vulgaribus morborum hiſtoriis alias recenſeri moris eſt, maxime ideo, quia nihil in iisdem occurrebat, quod extraordinarium exſtiterit, aut caſum ipſum mutare poſſit. Ipſa autem Matrona erat temperamenti cholerico-ſanguinei, habitu corporis firmo, repleto, plethorico; temperatis humoribus prædita; animo facile quidem adficiebatur, at & ſatis moderato; lautæ & ſedentariæ potius quam agili vitæ generi dedita; ſemper optime men-*

*atque nexus dirorum multorum & periculoſorum ſymptomatum Cauſtico illi Emplaſtro ſuam debet originem: nec deficiunt teſtimonia, quibus vehemens, repentina & turbulenta ſalivatio cum ſublimato hoc mercurio infelici plane ſucceſſu concitata probatur: Quamvis etiam paucis ab obitu diebus ſalivatio remiſerit, cum jam ob perditiſſimum morbi ſtatum vires extreme defecerint, ſat ſtrenue tamen illa præcedentibus ſucceſſit diebus, ut nullo monitore, nedum impulſore opus habuerit, ni oleum igni infundere ac præſentia terribilia omnique commiſeratione digna morboſa pathemata acerbiora reddere crudele dictitaverit conſilium. Quod porro infelix hoc medicamen, uſu topico adhibitum, ſalivationem impetuoſam provocet, doctos atque peritos Medicos vix latet; nec ullus ho-*

---

*menſtruata; ante duos & dimidium annum matrimonio juncta, nullos ſuſcepit liberos; evacuationes omnes per totum morbi decurſum ſatis regulariter procedebant; nec ipſa per complures annos ullum notabilem morbum paſſa eſt, præter Dyſenteriam ſuperioris anni, a qua tamen adeo bene convaluit, ut omnes ſanitatem ejus firmam mirarentur.*

*horum vadem se promittere poterit, fore ut talis salivatio unquam modica & innoxia extiterit. Quoniam etiam in arte sua peritus Medicus adhibitus in eodem miserabili casu purgans sat validum, diaphoretica, balsamica, mundificantia, putredini resistentia, lenientia, discutientia, sedantia selecta & probata auxilia ordinavit, haud tamen singula hæc virus illud mercuriale sufficienter subjugare potuerant: & licet Essentiæ pimpin. alb. usus in paulo minorem quantitatem* redigi & temperari debuerit; minus tamen eadem tantum obesse potuit, quin innumeris casibus salivationi promovendæ, faucibus purificandis & stagnationibus discutiendis, quippe eximie fructuosam illa se exhibuerit, ideoque singulari ordinatione masticatoriis & apophlegmatizantibus selectis remediis annumeretur.*

Tandem quæritur:

III. An Medicus, eo demum tempore in auxilium vocatus, quo calamitosa Sympto-

* *Sed vide rationem supra pag.* 144. §. *XXXVI. pag.* 205. *XXXVII. pag.* 284. §. *XXVII.*

ptomata medicamentorum deglutionem fere omnem excludebant, lethalem eventum prohibere potuerit, præcipue, si suadente Empirico salivationem adhuc magis promovisset?

*Quam ultimam quæstionem haud alia, quam negativa resolvere possumus cognitione: Non raro enim vix decem periti Medici id in meliorem statum convertere minus valent, quod unus audax, impudens & imperitus Medicaster perdidit atque corrupit, ideo prudentis Medici officium est, ut quantum Religio Christiana & Medica concedit, tumultuariis Circulatorum ausibus ipse suas nequaquam immisceat manus, rectiusve* τὸ ἀπέχειν *exerceat, quoniam utplurimum nihil ad salutem ægrorum perficitur. Subinde autem certo certius evenit, ut impostor fatales eventus impudica fronte in peritum devolvat Medicum.*

*In præsenti casu octavus adfulserat dies, quo demum, sorte ægræ in pessimum statum conjecta, Medicus peritus vocatus fuit, quo damno, à medicastro illato, salutare ferret consilium: ast cum humores & motus in misera ægra summopere ferverent & in femore æque ac capite partes valde irritatæ essent, sane, non fuit in Medico tantisque resistere telis, atque tumultibus: in eo enim contigit,*

gît,

*git, quod Plato edixit, facilius esse movere quietum, quam quietare motum: hoc enim adsertum erat Empirico arcanum; Vehementia, atrocitas, ubertas & contumacia symptomatum prohibuerunt, quo minus Medici docti solertia, sollicitudo ac providentia salubres adsecuta fuerit successus & eventus, qui propterea omni caret culpa, dum hæc contra in Empiricum merito derivanda est, quem illatæ noxæ eximere juxta Scientiæ & experientiæ fundamenta nulli possumus. Id quod judicum suffragante Ordinis nostri consensu ac authoritate sub sigilli nostri confirmatione, ad petitum exhibemus. Dab. Halæ Magd. d.* 28. *Sept. An.* 1737.

(*L. S.*)

*Decanus, Senior und sämtliche Professores der Medicinischen Facultaet allhier.*

# INDEX.

Numerus paginam indicat.

A.



*Ali-*

B.



C. Ca-

C.

D.

F.

G.

H.



I.



Ira,

K.



L.



M.

O.



P.

## R.



## S.

T.

V.



*Ven-*

# ERRATA TYPOTHETICA.

Pag. 35. lin. 23. *prutredinis* l. putred.
40. lin. 24. *naturum* l. naturam.
43. lin. ult. *profus* l. prorfus.
49. lin. 18. *post peculiares. adde*, quæ.
61. lin. 12. *orbo* l. orbe.
64. lin. 9. *menimi* l. memini.
85. lin. 25. *continutato* l. continuato.
86. lin. 14. *recitare* l. recitari.
108. lin. 7. a fin. *non nat.* adde, *rerum.*
120. lin. 10. *dinftinguit*, l. diftinguit.
136. lin. 8. l. Hipprocratem.
142. lin. 23. *eadam* l. eadem.
179. lin. 7. a fin. *aqua fola* l. aquam folam.
180. lin. 24. *pro Cholera* l. Colica.
209. lin. 3. *Ipecuanhæ* l. Ipecacuanhæ.
210. lin. 2. *abbibuerunt* l. adhibuerunt.
220. lin. 4. *graffanffantem* l. graffantem.
221. lin. 14. *Wratlifavienf.* l. Wratislavienf.
263. lin. 3. *infectum* l. infectum.
268. lin. 14. *tunquam* l. tanquam.
274. lin. 17. *quantam* l. quandam.
275. lin. 15. poft, fucceffu, adde, *fe.*
277. lin. 1. *confeo* l. cenfeo.
287. lin. 5. a fin. *incoquendum* l. incoquendam.
299. lin. ult. *eademque* l. eandemque.
328. lin. 1. dele, oppidum.

# B O E K E N,

## Dewelke by N. VAN VUCHT gedrukt, of in getallen te bekomen zyn.

### *IN QUARTO.*

Bierman in Apocalypsin.
Burman exercitationes Academicæ.
Heidani Corpus Theologiæ, 2 vol.
Hoeke (van) over den Hebreen.
Irhoven de Palingenesia Veterum.
Keillii Tentamina Medico-Physica, cum fig.
Laan XXXII. uitgezogte Leerreedenen.
Mark in Canticum Canticorum.
Oosterdyk Schacht (J.) Institutiones Medicæ.
—— —— over de Geheimen der Genees-meesteren.
Vermeer (J.) Versameling van Oeffeningen, 2de Druk.
—— over de Catechismus, 2 deelen. 2de druk.
Velde (v. d.) over Rom. VIII.

### *IN OCTAVO.*

Berneri Exercitatio de Efficacia & usu Aeris Mechanico in Corpore Humano &c.
Bohnius de Renunciatione Vulnerum.
Crenii Thesaurus Librorum, 2 vol.
—— Museum, 2 vol.
—— Animadversiones Partes Varii.
Contarenii Lectiones Oratoriæ.
D'Outreyn (Juffrouw) Geestelyk Leven der Ziele.
—— Stemme Gods, 2 deelen.
Gronovii Varia Geographica.
Kloekhof (C. A.) Opuscula Medica.
—— de Morbis Animi.
Kulmus Tabulæ Anatomicæ Ed. Opt.
Koelman Pligten der Ouders, met XXIII. Exempelen van Vroeg-bekeerde Kinderen.
Lampe Geestelyke Gezangen.
—— Betragtinge over de Voorsigtigheid der Regtvaardigen.
Martini Lectiones Variæ *sub prælo.*
Palladius de Febribus, Gr. & Lat.
Portius de Militis in Castris Sanitate tuenda, & Willius de Morbis Castrensibus.
Wachendorff Index Horti Ultrajectini.
Watsii (J.) Logica, Ex Anglico Latine Vertit, J. D. Hahn.

### *IN DUODECIMO.*

Kerkringii Comment. in Currum triumph. &c.
Moor (de) Institutiones Medicæ.